De Amnestia

anno CCCCIII a. Chr. n. ab Atheniensibus decreta.

Dissertatio

quam

ad summos in philosophia honores

ab amplissimo philosophorum ordine

in academia regia Christiana-Albertina Kiliensi

impetrandos scripsit

et una cum sententiis controversis

die XVII mensis Februarii a. MDCCCLXXXI hora XII

publice defendet

Georgius Luebbert,

Ditmarsus.

Adversarii erunt:

Alfredus Biese Dr. phil. gymn. Kil. praeceptor.

Henricus Hass Dr. phil.

Guilelmus Petersen Drd. phil.

Kiliae.

Prostat apud G. de Maack.

Ex officina C. F. Mohr (P. Peters).

1881.

Imprimatur:
Dr. Backhaus,
h. t. decanus.

Praeceptoribus carissimis

Friderico Freist,

qui nunc est pastor ecclesiae Boerneckensis Brunsvicensium,

et

Carolo Knackstedt,

qui nunc est pastor ecclesiae Gehrenrodensis Brunsvicensium,

has litterarum primitias

sacras esse vult

auctor,

ut pius, memor, gratus inveniatur.

Imprimatur:
Dr. Backhaus,
h. t. decanus.

Praeceptoribus carissimis

Friderico Freist,

qui nunc est pastor ecclesiae Boerneckensis Brunsvicensium,

et

Carolo Knackstedt,

qui nunc est pastor ecclesiae Gehrenrodensis Brunsvicensium,

has litterarum primitias

sacras esse vult

auctor,

ut pius, memor, gratus inveniatur.

Index.

Caput primum.

Scriptorum antiquorum testimonia afferuntur et exponuntur.

Excursus ad caput primum.

Caput secundum.

Virorum doctorum sententiae recensentur.

Caput tertium.

De orationibus compluribus.

Praefatio.

§ 1. Quomodo bello Peloponnesiaco finito Athenienses a triginta tyrannis ex urbe expulsi patriam recuperaverint et rem publicam denuo instituerint, oratione continua quamvis breviter narrat Xenophon sub finem alterius hellenicorum libri atque etiam brevius Justinus (V 10) et Cornelius Nepos (vita Thras. 3) et brevissime Diodorus (XIV 33, 6). Praeterea permultae singulae res commemorantur apud Lysiam, Andocidem, Isocratem, alios, quibus Xenophontis narrationem explere possumus, sed si Xenophontis hellenica et Justini historiae deessent, e ceteris fontibus res eo tempore gestas eruere et recte componere difficillimum esset. Quam ob rem omnes, qui eius temporis historiam narrant, semper ad Xenophontem oportet recurrere eiusque narrationem sequi, quae mea quidem sententia indigna non est, cui fidem habeamus et quam sequamur, id certe spero hac dissertatione probaturum me esse res nobis tractandas recte a Xenophonte narrari summaque earum momenta omnia recte indicari.

Priusquam vero ad rem ipsam transeam, brevissime exponendae mihi sunt res antecedentes, quas narrans Xenophontem sequar.

Athenienses expulsi Thrasybulo duce Piraeeo potiti trigintavirorum exercitum vicerant et duos e triginta, Critiam et Hippomachum, interfecerant (Xen. hell. II 4, 10—19). Quibus factis in urbe ipsa inter eos, in quibus trigintavirorum imperium nitebatur, dissensio orta est, cum multi tyrannos porro sequi iam nollent. Quam ob rem imperium eis abrogare constituerunt et decem alios praetores creare, qui quamquam trigintaviris multo leniores erant, tamen et ipsi optimatium parti favebant neque ullo modo exsules in urbem recepturi erant. Triginta autem Eleusina se contulerunt, quam urbem iam antea trecentis Eleusiniis crudeliter interemptis sibi paraverant. Sic igitur Attica tres factiones complectebatur: in Piraeeo erant exsules,

qui saepe *οἱ ἐν Πειραιεῖ* vel *οἱ ἐκ Πειραιέως* vocantur, in urbe ipsa decemviri cum eis, qui trigintavirorum partes reliquerant, Eleusine tyranni, qui etiam tum *οἱ τριάκοντα* vocantur, re vera autem, ubi plurimum, viginti quinque erant, quia Theramenem scimus capitis damnatum esse, Critiam et Hippomachum pugna interfectos, Eratosthenem et Phidonem Athenis tum remansisse. Interim exsulum in Piraeeo collectorum numerus magis magisque auctus est et urbanos pressit (20—27). Qua de causa cum et trigintaviri et decemviri legatos Spartam misissent, qui auxilium contra exsules peterent, Lysander effecit, ut ipse harmostes cum pecunia, qua milites mercenarios conduceret, et Libys frater cum quadraginta navibus (cf. Diod. XIV 33,5) auxilio mitteretur. Qui mox exsules usque eo victores tantopere in angustias adduxerunt, ut omnis salutis spes iam videretur sublata esse, cum ab hostibus ipsis salus eis oblata est. Pausanias enim rex Lysandro invidens cum exercitu in Atticam profectus est et eius merito Atheniensium respublica denuo tum instituta est (28—30). Quamquam cum exsulibus, qui Piraeeum tenebant, manus conserere coactus est, tamen id semper agebat, ut reditum eis patefaceret in patriam. Per legatos clam missos eos hortatus est, ut pacem peterent, et eis nuntiavit, quibus condicionibus pax impetrari posset, eodemque modo urbanos, qui decemvirorum dominationem moleste iam ferebant, ut pacem peterent, commovit. Quibus de causis et exsules et urbani et paulo post decemviri ipsi de pace legatos Spartam miserunt, unde quindecim viri missi sunt, qui cum Pausania pacem reconciliarent (31—38).

Quibus narratis ad eas res venimus, quas propositum mihi est hac dissertatione accuratius tractare, pacta dico, quibus Atheniensibus exsulibus civitas reddita et concordia restituta est.

Quia autem viri docti recentiores complures et ei notiores fontes, quibus hae res narrantur, falso explicuerunt vel certe aliquid intulerunt, quod in eis non invenitur, primum meum est fontes, quibus me et omnes de his rebus scribentes niti oportet, colligere et virorum recentiorum sententiis et interpretationibus neglectis sine ira et studio unam quaerere rectam eorum explicationem. Quo facto demonstrandum erit, quid ei doceant, qui nostris saeculis illius temporis historiam narraverunt, falsaeque eorum opiniones erunt refutandae. Quibus duobus capitibus tertium restat adiungendum. Nam praeter

eos fontes, qui diserte has res narrant, i. e. scriptores rerum eo tempore gestarum, quibus annumerari potest Andocides, qui in oratione *περὶ μυστηρίων* breviter eius temporis historiam narrat eaque narrata satis sese defendisse sibi videtur, respiciendi relinquuntur oratores alii complures, qui id nón agunt, ut de illis rebus gestis nos sive eos, qui audiverunt, certiores faciant, sed qui idcirco singulas res commemorant, ut eis commemoratis sententiam suam firment vel se defendant vel alios accusent. Quo consilio efficitur, ut plurima eis, qui audiunt, nota ponant et tantum monstrent eamque ob rem nobis, nisi per alios scriptores de eis instructi sumus, obscurius ea indicent. Accedit, quod saepe in suum commodum perverse res interpretantur. Quae etiam cadunt in orationes nobis tractandas, quae nonnullas res falso interpretantur, plurimas autem recte indicare videntur, sed omnes fere obscurius et brevius. Neque minus quam in singulos complurium orationum locos in nonnullarum tempus et condiciones nobis inquirendum est, quibus fraus inesse non potest. Itaque quoniam ea, quae apud oratores inveniuntur, oportet cum eis convenire, quae a scriptoribus traduntur, tertio dissertationis capite demonstrandum erit, quomodo singula conveniant. Quacum quaestione bene coniungi potest altera, de qua nisi illis orationibus nixi diiudicare non possumus, quomodo et quamdiu amnestia, quam tum decretam esse sequentibus videbimus, servata sit.

Caput primum.

§ 2. Ut prioris belli Peloponnesiaci partis unum Thucydidem sic posterioris eiusdem belli partis et temporum sequentium fontem aequalem unum habemus Xenophontem, qui multas et maximas res non per alios compertas narrat, sed ipsi visas, nam Xenophontem nonnullis expeditionibus fortasse exceptis per annos 407, 406, 405, 404, 403 Athenis fuisse et anarchiae tempore a tyrannorum parte stetisse hellenica eius et memorabilia ostendunt et a compluribus viris doctis pro certo demonstratum est. Quam ob rem ei maior quam scriptoribus posterioribus omnibus fides habenda est. Quod vero multi viri docti recentiores contendunt eum Lacedaemoniorum rebus nimis faventem res ab Atheniensibus gloriose gestas obscuravisse et depravavisse, de rebus nobis nunc tractandis nemo erit, qui talis studii eum arguat, quia non est, cur eas res mutavisse putetur, ad quas mutandas neque Lacedaemoniorum amor neque Atheniensium odium eum commovere poterat. Brevitas autem Xenophontea, qua interdum etiam res graviores omittuntur, quam maxime his in rebus dolenda est, brevissime enim omnia narrat, quamquam eorum, quae maioris momenti erant, nihil omissum esse infra cognoscemus.

Quibus expositis si oportet imprimis eis nos confidere, quae Xenophon narrat, nunc videamus, quae post ea, quae supra breviter secundum eum narravi, facta esse tradat. Dicit autem (hell. II 4, 38—43) haec:

38. »*οἱ δὲ διήλλαξαν ἐφ' ᾧτε εἰρήνην μὲν ἔχειν πρὸς ἀλλήλους, ἀπιέναι δὲ ἐπὶ τὰ ἑαυτῶν ἕκαστον πλὴν τῶν τριάκοντα καὶ τῶν ἕνδεκα καὶ τῶν ἐν τῷ Πειραιεῖ ἀρξάντων δέκα. εἰ δέ τινες φοβοῖντο τῶν ἐξ ἄστεος, ἔδοξεν αὐτοῖς Ἐλευσῖνα κατοικεῖν.* 39. *τούτων δὲ περανθέντων Παυσανίας μὲν διῆκε τὸ στράτευμα, οἱ δ' ἐκ τοῦ Πειραιῶς*

ἀνελθόντες σὺν τοῖς ὅπλοις εἰς τὴν ἀκρόπολιν ἔθυσαν τῇ Ἀθηνᾷ. ἐπεὶ δὲ κατέβησαν οἱ στρατηγοί, ἔνθα δὴ ὁ Θρασύβουλος ἔλεξεν κ. τ. λ. ..... 42 ..... εἰπὼν δὲ ταῦτα .... ἀνέστησε τὴν ἐκκλησίαν. 43. καὶ τότε μὲν ἀρχὰς καταστησάμενοι ἐπολιτεύοντο. ὑστέρῳ δὲ χρόνῳ ἀκούσαντες ξένους μισθοῦσθαι τοὺς Ἐλευσῖνι, στρατευσάμενοι πανδημεὶ ἐπ' αὐτοὺς τοὺς μὲν στρατηγοὺς αὐτῶν εἰς λόγους ἐλθόντας ἀπέκτειναν, τοῖς δὲ ἄλλοις εἰσπέμψαντες τοὺς φίλους καὶ ἀναγκαίους ἔπεισαν συναλλαγῆναι. καὶ ὀμόσαντες ὅρκους ἦ μὴν μὴ μνησικακήσειν ἔτι καὶ νῦν ὁμοῦ τε πολιτεύονται καὶ τοῖς ὅρκοις ἐμμένει ὁ δῆμος.«

Quindecim igitur viri, qui Sparta missi erant, cum Pausania et duobus ephoris fortasse, quos Pausaniam comitatos esse in § 36 legimus, inter Atheniensium partes duas pacem reconciliaverunt ea summa condicione, ut pace et concordia in unam denuo civitatem coniunctos sese usuros esse pollicerentur, et ut sua quisque reciperet. Quarum condicionum expertes soli erant trigintaviri et undecimviri, qui trigintavirorum adiutores crudeles fuerant, quos eodem munere functos esse atque populi eiusdem nominis magistratum Xenophon ostendit Theramenis mortem narrans (hell. II 3, 54), et decemviri, qui sub tyrannis Piraeeum rexerant, de quibus Xenophon primum loquitur II 4, 19, quos aeque atque undecimviros trigintaviris subiectos fuisse dicit Plato (ep. VII 324 C) et simul cum his a Lysandro institutos esse narrat Plutarchus (Lys. 15). Hi igitur omnes a reditu exclusi erant et bona eorum publicanda, de qua re infra (§ 5 et § 26) accuratius disserendum erit. Addita est altera condicio, si inter eos, qui in urbe fuerant, nonnulli essent, qui rebus compositis non confiderent, ut his liceret Eleusina se conferre, quam urbem trigintaviri possidebant et tum retinuerunt, quos sine dubio statim, cum Athenis eo migrarent, multi e tribus illis civium milibus secuti sunt et ad quos alii hac pacis condicione usi migrare poterant et certe multi, quibus propter facinora redeuntium ultio timenda erat, migraverunt.

Pace sic composita Pausanias exercitum suum dimisit, vel rectius milites auxiliares et mercenarios, quos a Lysandro acceperat, dimisit, Lacedaemonios reduxit. Athenienses autem exsules urbem intraverunt et in arcem ascenderunt, ubi Minervae sacra fecerunt. Quem introitum Plutarchus (de gloria Athen. c. 7) tradit factum esse mensis Boedromionis die duodecimo i. e. ante diem XI Kal. Oct. Deinde in Pycna descenderunt, ubi contionem habuerunt, sic enim

hunc locum esse intellegendum infra (§ 15) videbimus. In qua contione Thrasybulus habuit orationem, quam Xenophon non totam verbotenus nobis tradidit, qua primum ad urbanos, *τοὺς ἐξ ἄστεος*, se convertit, quos verbis acerbissimis ad modestiam revocat, deinde ad exsules reversos, *τοὺς ἐκ τοῦ Πειραιῶς*, quos adhortatur, ut pacem servent. Quibus factis novi magistratus creati sunt et res publica, qualis ante trigintaviros institutos fuerat, quatenus iam tum, cum magnus civium numerus Eleusine erat, fieri potuit, restituta est.

Posteriore autem tempore, quamdiu post factum sit, e verbis »*ὑστέρῳ δὲ χρόνῳ*« colligi non potest, sed ex eis, quae alii tradunt, infra (§ 4) colligetur, Athenienses audiverunt eos, qui Eleusina urbem tenebant, i. e. trigintaviros cum amicis suis, mercenarios conducere, ut civibus modo reconciliatis bellum inferrent, eaque de causa cuncti expeditionem contra eos fecerunt. Neque vero vi eos vicerunt atque urbem ceperunt, sed per fraudem turpissimam, cuius Athenienses ipsos postea poenituisse ex eo concludat quis, quod rarissime eius mentio facta est. Duces enim eorum ad colloquium elicitos interfecerunt. Quibus interfectis ceteris per amicos eorum et cognatos ad eos missos persuaserunt, ut cum civibus suis prioribus in gratiam redirent et in urbem reverterentur. Quo autem magis metus et eis et aliis, quibus aliquid metuendum erat, tolleretur et concordia inter omnes cives hoc modo reconciliatos maneret, omnia delicta, quae civitate perturbata commissa essent, oblivioni danda esse iuraverunt vel, ut brevius dicam, amnestia decreta est et diu servata.

Haec sunt res eo tempore gestae, quarum duae imprimis sunt notandae et memoriae infigendae: pax Pausania auctore inter exsules et urbanos facta et amnestia Eleusine recuperata ab omnibus Atheniensibus reconciliatis iureiurando sancta.

§ 3. Quarum rerum alteram narrat, alteram plane omittit Diodorus, qui de his rebus lib. XIV cap. 33 § 6 brevissime dicit haece: »*Παυσανίας . . . . . ἀνέζευξε μετὰ δυνάμεως πολλῆς καὶ παραγενηθεὶς εἰς Ἀθήνας διήλλαξε τοὺς ἐν τῇ πόλει πρὸς τοὺς φυγάδας. διόπερ Ἀθηναῖοι μὲν ἐκομίσαντο τὴν πατρίδα, καὶ τὸ λοιπὸν τοῖς ἰδίοις νόμοις ἐπολιτεύοντο, τοῖς δ᾽εὐλαβουμένοις, μή τι πάθωσι διὰ τὰ γενόμενα κατὰ τὸ συνεχὲς αὐτῶν ἀδικήματα τὴν Ἐλευσῖνα κατοικεῖν συνεχώρησαν.*«

Quae omnia optime congruunt cum eis, quae apud Xenophontem narrata invenimus. Affirmat Diodorus Pausaniam inter urbanos et exsules, qui apud eum non vocantur *οἱ ἐκ (τοῦ) ἄστεος* et *οἱ ἐκ (τοῦ) Πειραιῶς* sive *οἱ ἐν (τῷ) ἄστει* et *οἱ ἐν (τῷ) Πειραιεῖ,* quibus vocibus Xenophon et oratores has duas partes appellare solent, sed *οἱ ἐν τῇ πόλει* et *οἱ φυγάδες,* pacem conciliavisse et addit eandem condicionem, quam praeter Xenophontem et Diodorum nemo exhibet, qua omnibus, qui in urbe remanere non auderent, Eleusina se conferre licebat. Mirum autem est de eis, quae deinde evenisse Xenophon et alii tradant, Diodorum nihil tradere, neque belli Eleusinii neque amnestiae decretae mentionem eum facere. Quin etiam, nisi illam pacis condicionem exhiberet, omnino non indicaret Eleusine in urbe alteram civium factionem fuisse, nam etiam in § 5 solum dicit: »*τοὺς μὲν τριάκοντα τῆς ἀρχῆς παύσαντες ἐκ τῆς πόλεως ἐξέπεμψαν*«, quo ierint, non addit. Neque postea comperimus, quomodo haec civitatis pars cum ceteris Atheniensibus in unam civitatem reconciliata sit, quod sine dubio Diodorus ipse sive errore sive pravo brevitatis studio omisit, nam, si omnino non narraret alteram factionem Eleusina se contulisse, iam eius fontis haec brevitas fuisse posset, sed quia hoc additum est, verisimillimum est Diodorum ipsum, non eius fontem neglexisse, quid de hac civium parte factum esset.

Qua ratione in suspicionem inductus sum, quam supprimere nolo, quamquam neque mihi ipsi plane est probata neque ulli viro docto fortasse plane probabitur. Diodorus in capite sequenti narrans Cyrenensium duas factiones pacem inter se fecisse addit: »*καὶ παραχρῆμα ὁρκωμοτήσαντες μὴ μνησικακήσειν κοινῇ τὴν πόλιν κατῴκησαν*«, idem igitur quod Athenienses bello Eleusinio finito reconciliatos fecisse in capitis antecedentis fine narrandum erat. Etiamsi apud Cyrenenses plane idem accidere potuit, tamen secum reputans talem amnestiam apud antiquos paene inauditum aliquid esse et maxime eam ob causam mirandum, si fere eodem tempore duo populi discordias intestinas ea decreta finiverint, a Diodoro autem eiusmodi errores alienos non esse coniiciat quis eum, quae in fonte suo de Atheniensibus narrata invenerit, ad Cyrenensium condicionem simillimam errore transtulisse.

Neque silentio praetermittendum est, quamvis in nostra quaestione parvi sit momenti, Diodorum omnia, quae de Athenis receptis

et paucorum potentia liberatis narret, falso loco posuisse, posuit enim inter res anno 401 gestas, cum ex omnibus ceteris fontibus constet anno 403 haec omnia facta esse, quam ob rem narranda erant circiter viginti capitibus ante hunc locum. Qui error sine dubio est Diodori ipsius, qui eo, quod ex alio fonte alias res immiscuit, ad fontis sui ordinem relinquendum perductus haec facta omiserat et sero addidit, cf. ea, quae exponit Volquardsen »Untersuchungen über Diodor XI—XVI,« pag. 44.

Ut ad quaestionem nostram redeamus, maxime dolendum est Diodorum, quippe quem ex altero eorum scriptorum, qui Xenophonti ipsi vix posthabendi eiusdem temporis historiam narraverant, hausisse constet, non pluribus verbis has res narrare, pauca, quae exstant, cum eis, quae Xenophontem de pace composita dicere iam vidimus, conveniunt.

§ 4. Cum Diodorus, qui pleraque copiose et abundanter narret, loco nobis tractando sit brevissimus, fors tulit, ut Iustinus, qui pleraque brevissime indicet, de his rebus multo sit longior quam ille. Nam non multo brevius quam Xenophon exponit, quomodo pax facta sit et amnestia decreta, et ita, ut paucis erroribus non gravibus neglectis plane cum eo conveniat. Dicit autem lib. V. c. 10 haec: »Pausanias rex mittitur, qui misericordia exsulis populi permotus patriam miseris civibus restituit et decem tyrannos ex urbe Eleusina migrare ad ceteros iubet. Quibus rebus cum pax statuta esset, interiectis diebus repente tyranni non minus restitutos exsules quam se in exsilium actos indignantes, quasi vero aliorum libertas sua servitus esset, bellum Atheniensibus inferunt; sed ad colloquium veluti dominationem recepturi progressi per insidias comprehensi ut pacis victimae trucidantur. Populus, quem emigrare iusserant, in urbem revocatur. Atque ita per multa membra civitas dissipata in unum tandem corpus redigitur, et ne qua dissensio ex ante actis nasceretur, omnes iureiurando obstringuntur discordiarum oblivionem fore.«

Itaque Iustinus quoque narrat Pausaniam inter urbanos et exsules pacem composuisse, condiciones autem omittit. Quodsi deinde narrat regem decem tyrannos, i. e. decemviros post trigintaviros expulsos creatos Eleusina migrare iussisse, non facit cum Xenophonte, qui eos in pace componenda non commemorat, neque plane vere dicit. Nam si re vera hi decemviri Eleusina ad ceteros tyrannos ire iussi

essent, pacis condicionum expertes fuissent et praeter trigintaviros, undecimviros, decemviros Piraeenses Xenophonti enumerandi erant. Praeterea unus ex eis, Phido, secundum Lysiam XII 54 sqq. paulo post Athenis esse videtur. Attamen virisimile est plurimos eorum, quoniam omnium, qui tum Athenis erant, maxime exsulibus obstiterant, sibi metuentes pace facta Eleusina se contulisse, quo Phido ire non ausus sit, utpote qui ipse in trigintavirorum numero fuisset, sed eorum partem cum Eratosthene deseruisset (cf. Lys. XII 54). Hac autem ratione facile intellegitur, quomodo Iustinus in hunc errorem inductus sit. Invenit apud Trogum, nisi forte iam huius est error, urbanos maxime noxios Eleusina migravisse. Quod coactos eos fecisse errore putavit et narravit. Ceteros autem cives neglexit, quia eius intererat narrare decemviros imperio sese abdicare coactos esse. Quibus de causis etiam apud Iustinum illius pacis condicionis vestigium invenitur et condicionis quidem perfectae.

Accuratius quam Xenophon Iustinus nos videtur instruere de tempore, quo Eleusis recuperata et amnestia decreta sit, nam verbis »interiectis diebus« eum ostendere putaverim non diu post pacem compositam haec facta esse. Amat enim Iustinus narrationem continuare aut verbis »interiecto tempore« sive »interiecto deinde tempore« (I 5.7. 10, II 15, III 6 init. 6 med., IV 4, VII 5, X 3, XI 12, alias) aut verbis: »interiectis diebus« (III 7 in. 7 med., V 4, VII 6, alias) eo discrimine interposito, ut in universum illud significet maius, hoc minus temporis spatium. Verbis enim »interiecto tempore« omnibus locis allatis uno (II 15) excepto, ubi de spatio minimo intellegenda esse videntur, unum aut complures et interdum, ut III 6 init., plurimos annos significat, verbis autem »interiectis diebus« plerumque spatium brevissimum, quamquam uno loco (III, 7 med.) non liquet, num pugna navalis paulo post commissa his verbis cum antecedentibus coniuncta sit. Quibus demonstratis tantum non pro certo statuere nobis licet nostro loco e verbis »interiectis diebus« concludendum esse non multis diebus, ad summum uno duobusve mensibus post exsulum reditum expeditionem Eleusiniam factam et amnestiam decretam esse, quam rationem compluribus aliorum locis comprobari, nullis refutari infra (§§ 21,26,31) videbimus. Quoniam vero reditus, ut supra (§ 2) demonstravimus, mense Septembri anni 403 a. Chr. n. factus est, verisimillimum est intra eundem annum amnestiam decretam

et iureiurando sanctam esse. Hanc autem post Eleusina recuperatam, cum omnes factiones in unam civitatem redissent et pacem inter se restituissent, decretam esse Iustinus quoque docet.

§ 5. Restat scriptor Latinus in plurimis rebus parvae auctoritatis, attamen non spernendae in nostra, Cornelius Nepos, qui in vita Thrasybuli cap. 3 narrat haece: »Is (Pausanias) inter Thrasybulum et eos, qui urbem tenebant, fecit pacem his condicionibus: ne qui praeter triginta tyrannos et decem, qui postea praetores creati superioris more crudelitatis erant usi, afficerentur exsilio, neve bona publicarentur, rei publicae procuratio populo redderetur. Praeclarum hoc quoque Thrasybuli, quod reconciliata pace, cum plurimum in civitate posset, legem tulit, ne quis ante actarum rerum accusaretur neve multaretur, eamque illi oblivionis appellarunt.«

Eo tantum Nepos a Xenophonte dissentit, quod a pacis beneficio exclusos praeter trigintaviros neque undecimviros affert neque decemviros Piraeenses, sed decemviros urbanos post trigintaviros creatos, quos exclusos non esse in proxima paragrapho demonstravimus. Manifestum est hunc Nepotis errorem diversum esse a Iustini errore iam memorato neque ad eandem causam referendum. Nepos, qua saepissime est neglegentia, undecimviros neglexit et pro decemviris Piraeensibus posuit decemviros urbanos, qui soli ei erant noti.

Simili errore fortasse factum est, ut Harpocratio et, qui eum sequuntur, Suidas et Photius s. v. *Μόλπις* dicant: »*μετὰ τοὺς τριάκοντα δέκα ἄνδρες ἦρχον ἐν τῷ Πειραιεῖ, ὧν εἷς ἦν ὁ Μόλπις,*« cum decemviros Piraeenses constet simul cum trigintaviris munere functos esse. Qui error mea quidem sententia Harpocrationi ipsi imputandus est neque cum Kuestero, Meiero, Scheibio *μετὰ* mutandum est in *κατά*.

Diserte deinde Nepos dicit, id quod apud Xenophontem subaudiendum esse supra (§ 2) diximus, bona eorum, qui a reditu exclusi erant, publicanda fuisse. Novum autem apud eum cognoscimus amnestiae auctorem Thrasybulum fuisse, quod Aeschines affirmat, qui II 176 praeter Thrasybulum etiam Archinum nominat eius auctorem, et Valerius Maximus IV 1,4. Eleusinis recuperatae Nepos non facit mentionem, nam verba »reconciliata pace« melius ad pacem referuntur, quam ipse narravit, quam ad reditum eorum, qui Eleusina secesserant. Omittere autem potuit hanc rem, quia alteram partem Eleusine fuisse omnino non narravit, et omisit, sive quia Thrasybulus

huius facinoris auctor non fuerat sive quia eius vitam hac re turpissima narrata maculare noluit. Manifestum autem est de amnestiae promulgatae tempore Nepotem non obloqui Xenophonti et Iustino, nam verbis »reconciliata pace, cum (Thrasybulus) plurimum in civitate posset« ipse satis indicat inter pacem compositam et amnestiam promulgatam aliquid temporis intercessisse.

§ 6. Andocides denique totam eius temporis historiam breviter narrans brevissime ea, quoque comprehendit, quae e ceteris scriptoribus iam collegimus, cum I 81 dicit: »*ἐπειδὴ δ' ἐπανήλθετε ἐκ Πειραιέως, γενόμενον ἐφ' ὑμῖν τιμωρεῖσθαι ἔγνωτε ἐᾶν τὰ γεγενημένα, καὶ περὶ πλείονος ἐποιήσασθε σώζειν τὴν πόλιν ἢ τὰς ἰδίας τιμωρίας, καὶ ἔδοξε μὴ μνησικακεῖν ἀλλήλοις τῶν γεγενημένων*«, quibus verbis nihil inest, quod cum eis, quae ceteros tradere vidimus, non congruat, nam quamquam expeditio Eleusinia narrata non est, tamen utrumque factum summum, et reditus exsulum et amnestia, significatur.

Cum his Andocidis verbis nihil novi afferatur, eiusdem orationis paragrapho nonagesima compluria comperimus, quae nullus alius scriptor exhibet, quae tamen in amnestiam inquirentibus maximi nobis sunt momenti, tradit enim hoc loco Andocides iuramenta tria, quibus amnestia sancta est. Quorum primum affert id, quo tota civitas obstricta sit, cuius verba haec sunt: »*καὶ οὐ μνησικακήσω τῶν πολιτῶν οὐδενὶ πλὴν τῶν τριάκοντα καὶ τῶν ἕνδεκα· οὐδὲ τούτων ὃς ἂν ἐθέλῃ εὐθύνας διδόναι τῆς ἀρχῆς ἧς ἦρξεν*«. Cum neque Xenophon neque Iustinus neque Cornelius Nepos, qui amnestiam decretam esse narrant, homines quosdam ab hoc beneficio exclusos esse tradant, hoc Andocidis loco certiores reddimur exclusos tamen esse complures. Neque vero mirandum est illos tres scriptores hoc commemorare supersedere, quippe qui omnes brevissime scribant et summam rerum ostendant, ita ut Iustinus etiam eos, qui pacis condicionibus exempti erant, omiserit. Xenophon, qui et ipse omnes has res brevissime narrat, eo magis hoc loco viros exclusos omittere potuit, quia fere aut plane eidem sunt atque ei, quos paucis paragraphis ante a pace exclusos enumeravit. Nam a pace exclusi erant triginta et undecim et decemviri Piraeenses, ab amnestia autem triginta et undecim, decemviris igitur Piraeensibus, nisi forte in hoc iusiurandum inserendi sunt, de qua quaestione infra (§ 19) locuturi sumus, venia data est, sive quod tyrannorum parte relicta populo sese adiunxe-

rant sive quod populi iram omnino minus moverant, quod nequaquam est veri dissimile, quia scimus in Piraeeo populares minus vexatos esse. Neque illi in patriam redire plane vetiti erant, immo etiam eis redire et amnestia frui licebat magistratus gesti ratione reddita, qua reddita iam secundum pacis Pausania auctore factae condiciones redeundi facultatem assequi eos potuisse neque scriptores tradunt neque verisimile est. Nam Eleusis urbs refugium tum eis omnibus concessa aut potius, quoniam certe plurimi, fortasse omnes ibi iam erant, relicta est, qua urbe, postquam capta et cum Athenis denuo coniuncta est, non minus quam Athenis ipsis prohibiti sunt.

Et haec eadem res causa sit intellegenda gravissima, cur exsules et urbani, cum a Pausania reconciliarentur et pacem facerent, omnium rerum ante actarum oblivionem pacis condicionem facere supersederint. Tum enim, quoniam statutum erat, ut, si quis pace composita non confideret, Eleusina se conferret, sine dubio omnes ei urbani, quibus oblivione maxime opus erat, eo se contulerant. Qui cum post expeditionem contra eos factam omnes in urbem reverterentur, sine metu reverti non potuerunt nisi amnestia eis concessa. Accesserit, quod ei quoque, qui Athenis remanserant, iam senserant pacem solam sanctam ad omnes lites ex iniuriis ante commissis ortas supprimendas non sufficere, cuius opinionis testimonium habemus Lysiae causam in Eratosthenem actam. Quibus de causis hac occasione oblata eis, qui Eleusine Athenas reverterunt, postulantibus, eis urbanis, qui post exsulum introitum Athenis remanserant, optantibus, eorum ipsorum, qui exsules fuerant, prudentioribus omnibus adiuvantibus aut certe non obstantibus amnestiam crediderim ab omnibus civibus decretam et iureiurando firmatam esse.

Sequitur apud Andocidem iusiurandum, quod »*ἡ βουλὴ ἡ ἀεὶ βουλεύουσα ὄμνυσι*«, quod senatus non solum amnestia decreta iuraverat, sed saepius, scilicet quotannis, repetebat. Quod fuit hoc: »*καὶ οὐ δέξομαι ἔνδειξιν οὐδὲ ἀπαγωγὴν ἕνεκα τῶν πρότερον γεγενημένων, πλὴν τῶν φυγόντων,*« quod nisi altero iureiurando antea audito a nobis non intellegitur, quia per se apertum non est, quid sibi velint verba: »*πλὴν τῶν φυγόντων*«. Quoniam vero scimus trigintaviros et undecimviros, a facinorum oblivione exclusos fuisse, non erramus, si hos viros dicimus his verbis significari, quia amnestia eis negata re vera in exsilium missi sunt. In eo autem iuramento

quod Andocides deinde affert, quod iudices iurabant: »*καὶ οὐ μνησικακήσω, οὐδὲ ἄλλῳ πείσομαι, ψηφιοῦμαι δὲ κατὰ τοὺς κειμένους νόμους*« hominum ab amnestia exclusorum omnino nulla fit mentio. Sed quoniam et populi iureiurando semel dato et senatus saepius repetito constat fuisse, qui eximerentur, in hoc iudicum iureiurando, fortasse quia saepius dicebatur, homines ab amnestiae beneficio exclusos brevitatis causa praeteritos esse apertum est.

Ex eo autem, quod harum trium iurisiurandi formularum unaquaeque a particula *καί* incipit, satis colligi potest non totum haec verba esse iusiurandum, sed eius partem aut extremam aut certe non primam. Ut populi iusiurandum hoc loco mittamus, verba, quae senatum iuravisse Andocides dicit, non est cur negemus amnestia decreta vulgari senatorum iuriiurando addita esse, nisi quis eis, quae de tertia formula dicenda sunt, movetur, ut etiam de his aliter statuat. Nam ea verba, quae iudices iuravisse dicuntur, vulgari iudicum iuriiurando addita non esse ex eis elucet, quae Isocrates XVIII 34 dicit: »*περὶ ταύτης (τῆς δίκης) δύο ὅρκους ὀμόσαντες δικάζετε, τὸν μὲν, ὅνπερ ἐπὶ ταῖς ἄλλαις εἴθισθε, τὸν δ' ὃν ἐπὶ ταῖς συνθήκαις ἐποιήσασθε.*« Quae verba demonstrare videntur de pace et amnestia servanda iusiurandum proprium a iudicibus dictum esse, cuius verba extrema Andocides tradiderit, quod et ipsum continet verba »*ψηφιοῦμαι κατὰ τοὺς κειμένους νόμους*«, quae initium et summum argumentum erant vulgaris iudicum iurisiurandi, ut testantur Lysias XXII 7, Aeschines III 6, Pollux VIII 122, iusiurandum spurium quod invenitur apud Demosthenem adv. Tim. 149—151.

§ 7. Restant multi et singuli oratorum et aliorum loci, quorum maximum numerum, quia capitibus sequentibus omnes erunt tractandi, hoc loco missum facio, eos autem nolo praeterire, qui non solum ea, quae e scriptoribus adhuc collegimus, affirmant, sed aliquid novum ad ea addunt.

Pausania auctore legimus duas Atheniensium factiones pacem fecisse, cuius summas condiciones novimus. Attamen, quia ea, quae Lacedaemonii pace facta anno 404 instituerant, turbata erant exercitusque Lacedaemoniorum ad pacem restituendam intervenerat, iam verisimile est non solum exsules cum urbanis pactos esse, sed etiam utrosque cum Lacedaemoniis, atque testantur Isocrates XVIII 29 et Lysias XVIII 15 et Pseudolysias VI 38—40. Quibus locis,

etsi pacem cum Lacedaemoniis factam et Atheniensium ipsorum pacta discernere videntur, non refutari mox videbimus eam sententiam, quae per se maxime est probabilis et a Xenophonte fulcitur, non seiunctam esse hanc pactionem ab ea, quae inter exsules et urbanos facta est. Nam ut cum civitate reconciliata et denuo instituta Lacedaemonii paciscerentur, fieri non potuit, quoniam paciscendum erat, priusquam reconciliaretur et denuo institueretur. Quam ob rem sine dubio eae condiciones, quibus statuebatur, quae ratio deinde civitati cum Lacedaemoniis intercederet, cum ceteris coniunctae sunt, et Lacedaemoniorum rex, ephori duo, legati quindecim simul cum Atheniensibus iureiurando pacem sanxerunt, de qua quaestione conferas excursum, (§ 9) huic capiti additum et § 12. Propterea Xenophon (II 4,36) omnes huius pacis condiciones ab exsulibus propositas appellat »τὰς πρὸς Λακεδαιμονίους σπονδάς.« Hae enim condiciones, quibuscum exsulum legati Spartam mittuntur, easdem fere esse, quibus paulo post pax facta sit, ideo verisimile est, quod iam eas Pausania auctore composuerant. Atque tantum abest, ut inter eas omiserint, quomodo reditum assecuturi essent, ut summa earum haec condicio habenda sit.

Pace autem composita et iureiurando sancta in urbem exsules redierunt, quem introitum festum praecipue Lysiam XIII 80 sq. secuti viri docti recentiores complures recte narrant. Belli autem Eleusinii praeter Xenophontem et Justinum unus Plato Men. 14 facit mentionem et laudat Athenienses propter moderationem: »τόν τε πρὸς τοὺς Ἐλευσῖνι πόλεμον ὡς μετρίως ἔθεντο,« quae laus insidiis illis neglectis non immerito eis tribuitur, quia paucis ducibus interfectis ceteris pepercerunt et eos in urbem receperunt et iniuriarum oblivionem eis praebuerunt. Monstrat praeterea has insidias Isocrates VII 67 verbis: »αὐτοὺς τοὺς αἰτιωτάτους τῶν κακῶν ἀνελόντες.«

Quod autem ad amnestiam ipsam attinet, restat quaestio gravissima et difficillima, de qua e scriptoribus adhuc perlustratis diiudicari non potest, quomodo decreta sit et promulgata. Quominus putemus Athenienses cum eis, qui Eleusine erant, pacem fecisse ea summa condicione, ut amnestia eis et simul omnibus Atheniensibus, quibus tali praesidio opus esset, daretur, praeter alios impedit Justinus, qui l. l. diserte narrat, p o s t q u a m Eleusiniis in urbem reversis civitas in unum corpus redacta esset, omnes iureiurando obstrictos esse. Qua de causa statuat quis ab omnibus Atheniensibus reconciliatis

legem esse latam, qua omnes iniuriae antea commissae oblivioni dandae fuissent. Facit pro hac sententia Cornelius Nepos, qui l. l. dicit: »(Thrasybulus) legem tulit .... eamque illi oblivionis appellarunt.« Attamen aliis locis compluribus comparatis apparet non accurate Nepotem dixisse »legem tulit«. Neque enim erat lex, *νόμος*, sed plebiscitum, *ψήφισμα,* quod quomodo a lege differat, notissimum est. Nam de lege praeter Nepotem nemo loquitur, de plebiscito Valerius Maximus IV 1,4: »Plebis enim scitum interposuit«, Plutarchus praec. pol. 814 B: *»τὸ ψήφισμα τὸ τῆς ἀμνηστίας ἐπὶ τοῖς τριάκοντα«,* scholiastes alter ad Aristophanis Plut. 1146: *»ψήφισμα ἔθεντο«*, Velleius Paterculus II 58, 4: »decreti Atheniensium celeberrimi exemplum«. Sed ne haec quidem sententia probanda est. Sunt permulti loci, qui ei obloquantur, apud eos scriptores, qui Nepoti, Plutarcho, aliis posterioribus longe praeferendi sunt. Obloquuntur Xenophon et Justinus, qui iureiurando Athenienses obstrictos esse tradunt, id quod cum plebiscito non convenit, obloquuntur etiam magis oratores, qui plerumque amnestiam significant verbis *»ὅρκοι καὶ συνθῆκαι«*, ut Lysias VI 39. 45, XIII 88—90, XXV 23. 28. 34, XXVI 16, Isocrates XVIII saepius, aut alterutro verbo. Cum haec verba semper significare pactionem, cuiuscumque sit generis, ex eis appareat, quae excursu exposita huic capiti addidi, amnestiam pactionem fuisse necesse est. Fuit autem pactio exsulum et urbanorum, ut plerique loci modo allati et alii ostendunt. Idem igitur fuit, quod fuerat pax Pausania auctore composita, quam eisdem verbis significari potuisse constat (cf. § 28). Hoc modo nova difficultas se offert, quae ratio amnestiae cum illa pace intercesserit.

Cui quaestioni haec sunt respondenda, qua coniectura omnes difficultates, quas exstare vidimus, tolluntur, et omnes loci bene explicantur.

Priore pace statutum est, ut factiones reconciliatae pace inter sese uterentur, et iureiurando sese esse usuros polliciti sunt, iuraverunt fortasse in concordia se velle vivere, *ὁμονοήσειν*, quod saepissime apud Graecos factum esse narrat Xenophon mem. IV 4, 16. Attamen, praesertim cum rex Lacedaemoniorum summus et pacis et condicionum auctor esset, quomodo civitas restituenda et concordia servanda esset et optime servari posset, non satis erat provisum. Quod cum modo cognovissent melius providendum esse (cf. para-

graphum antecedentem), postquam eis, qui Eleusine fuerant, Athenas reversis tota urbanorum factio paucis exceptis in unam denuo convenit, totus populus reconciliatus Thrasybulo praecipue auctore pactionem antea factam decrevit iterandam esse et certioribus condicionibus gravioreque iureiurando firmandam. Qua de causa ad condiciones, *συνθήκας*, priores novas addiderunt in eundem lapidem fortasse incidendas, quibus diserte statutum est, ne propter iniurias anarchiae, quae vocabatur, tempore commissas quisquam in iudicium vocaretur, quae condiciones legi iubentur apud Isocratem XVIII 20, ubi per oratorem ipsum comperimus diserte has *συνθήκας* absolvisse, »*τοὺς ἐνδείξαντας ἢ φήναντας ἤ τῶν ἄλλων τι τῶν τοιούτων πράξαντας*«. In has autem condiciones partim iteratas partim novas totus populus tum reconciliatus iuravit ea formula, cuius partem apud Andocidem exstare vidimus, neque non senatores iudicesque. Qua sententia probata apertum est, et cur Xenophon, Iustinus, alii iure iu rando tradant Athenienses obstrictos esse oblivionem fore omnium rerum ante actarum, et cur apud oratores »*ὅρκοι καὶ συνθῆκαι*« haec amnestia vocetur. Est igitur pactio et a pace priore eo tantum distat, quod illa bellum inter factiones eo usque gestum finitum, hac oblivioni datum est, illa exsules reditum assecuti sunt, alii autem patriam fugerunt, hac omnibus metus ademptus, civitas et securitas reddita est, illam rex externus perfecit, hanc omnes cives sua sponte decreverunt. Neque ideo mirum est oratores de hac suevisse usurpare verba »*ὅρκοι καὶ συνθῆκαι*«, illam malle nominare »*αἱ διαλλαγαί*«, ut Isocratem XVIII 25, Lysiam XII 53, XIII 80. Nihilominus numquam neglegendum est non necessarie his nominibus has duas res notari, quia et amnestia »*διαλλαγή*« vocari potest et pax »*ὅρκοι καὶ συνθῆκαι*«, quibus verbis, ut demonstravimus, verisimile est semper subaudiendas esse prioris pacis condiciones. Hoc autem modo factum est, ut obscurius interdum loquantur oratores et pacem atque amnestiam confundere videantur.

Quibus expositis redire possumus ad locos initio huius paragraphi laudatos. Apud Lysiam XVIII 15 opponuntur: »*ἃ μὲν Λακεδαιμονίοις συνέθεσθε*« et »*ἃ δὲ αὐτοῖς ἐψηφίσασθε*« et eodem sensu: »*τὰς μὲν πρὸς ἐκείνους συνθήκας*« et »*τὰς δὲ πρὸς αὐτούς*«. Ex eis, quae exposui, sequitur illa intellegenda esse de pace Pausania auctore composita, cuius condiciones iam diximus eodem modo apud

Xenophontem vocari »*τὰς πρὸς Λακεδαιμονίους σπονδάς*«, haec de amnestia. Eadem dicenda sunt de altero loco, Lys. VI 38—40, quo opponuntur »*αἱ πρὸς Λακεδαιμονίους συνθῆκαι*« et eae, quas »*πρὸς τοὺς ἐν ἄστει οἱ ἐκ Πειραιῶς*« fecerunt. Neque nunc latet, quomodo factum sit, ut Nepos legem oblivionis latam esse narraret. Quia Athenienses constituerunt pacis condiciones augendas et denuo iureiurando sanciendas esse, recte Lysias XVIII 15 dicit: »*ἃ αὐτοῖς ἐψηφίσασθε*« et Dionysius arg. ad Lys. or. XXXIV: »*τοῦ δήμου ψηφισαμένου διαλύσασθαι πρὸς τοὺς ἐν ἄστει καὶ μηδενὸς τῶν γεγενημένων μνησικακεῖν*«, scholiastes ad Arist. Plut. 1146: »*ψηφίσασθαι ἔδοξε μὴ μνησικακῆσαι*«. Hoc autem verbo alii scriptores iam laudati et ei omnes scriptores, qui obiter huius rei mentionem faciant, adducti sunt, ut docerent, plebiscitum, *ψήφισμα*, factum esse, quod, si angustiore huius verbi sensu intellegitur, non plane recte dicitur. Et hoc verbum iam vidimus Nepotem vertisse verbo »lex«.

§ 8. Notissimum hodie est verbum »amnestia« atque vox sollemnis, cum condemnatis aut condemnandis multis publice venia conceditur eorumque delicta oblivioni dantur, i. e. cum, praeterquam quod hodie est beneficium principis aut eorum, qui eius loco rempublicam administrant, tum ab omnibus, et eis, qui iniurias passi erant, et qui commiserant, decretum est, idem fit, quod Athenis tum factum est, et recte sic adhibetur, eadem enim sententia voci »*ἀμνηστία*« sive »amnestia« apud antiquos iam est. Nihilominus omnibus locis adhuc a me allatis uno excepto hanc vocem non invenimus neque omnino apud scriptores Graecos classicos, qui vocantur, invenitur sive de hoc facto sive de alio simili usurpata. Qui omnes, si hanc rem accurate volunt significare, adhibent verba »*μὴ μνησικακεῖν*«, ut Xenophon l. l.: »*ὀμόσαντες ὅρκους ἦ μὴν μὴ μνησικακήσειν*«, Andocides I 81: »*καὶ ἔδοξε μὴ μνησικακεῖν ἀλλήλοις τῶν γεγενημένων*«, idem I 90: »*ὤμνυτε μὴ μνησικακήσειν*«, ibidem in iuramentis: »*οὐ μνησικακήσω*«, Aeschines II 176: »*τὸ μὴ μνησικακεῖν πρὸς ἀλλήλους*«, idem III 208 »*μὴ μνησικακεῖν*«, Dionysius arg. ad. Lys. or. XXXIV: »*μηδενὸς τῶν γεγενημένων μνησικακεῖν*«, scholiastes prior ad Arist. Plut. 1146: »*ψηφίσασθαι ἔδοξε μὴ μνησικακῆσαι*« et alter ad eundem locum: »*ψήφισμα ἔθεντο ἀλλήλους μὴ μνησικακεῖν*«, Cassius Dio XLIV 26: »*μήτε μνησικακήσειν τινί*«. Aliis etiam locis, quibus amnestia spectatur

aut servata aut praeterita, verbum *μνησικακεῖν* invenitur, ut And. I 90. 95. 108. 109, Lys. XVIII 19, XXX 9, Isocr. XVIII 3.23, Arist. Plut. 1146, alias. Qui loci omnes ostendunt sic illud factum vocatum esse neque nomen brevius oratorum laudatorum tempore fuisse, quod compluribus locis certe resputum non esset. Sequitur igitur, ut nomen »*ἀμνηστία*« postea fictum sit, et, si unum neglegimus Platonis vel Pseudoplatonis locum, Menex. 9=239 C, ubi verbum »*ἀμνηστία*« exstat, sed neque de hac re neque omnino hoc sensu adhibitum, et ubi editores recentiores post Stallbaumium recte, ut videtur, Bekkeri coniectura pro »*ἐν ἀμνηστίᾳ*« scribunt »*ἐν μνηστείᾳ*«, primum invenitur apud Valerium Maximum IV 1,4: ..»Thrasybulus ..... plebiscitum interposuit, ne qua praeteritarum rerum mentio fieret. Haec oblivio, quam Athenienses *ἀμνηστίαν* vocant« etc. et apud Plutarchum, qui praec. pol. 814 B de facto nostro dicit »*τὸ ψήφισμα τὸ τῆς ἀμνηστίας*« et idem factum respiciens Cic. 42: »*Κικέρων* ... *ἔπεισε τὴν σύγκλητον Ἀθηναίους μιμησαμένην ἀμνηστίαν τῶν ἐπὶ Καίσαρι ψηφίσασθαι*«. Saepe postea sensu generaliore, ut idem omnino sit ac poenae remissio, invenitur apud Appianum, Herodianum, alios. Locis autem allatis apparet prius nomen cessisse nomini breviori et habillori, quod nunc solum in usu est de illo Atheniensium et posteriorum nostrisque factis similibus, quam ob rem neque ego dubitavi hoc nomen alteri praeferre.

Neque praeterea putare licet hoc verbum ab eis scriptoribus inventum esse, qui primi exhibent. Nam praeterquam quod hi scriptores fontes arctius sequi solent, quam ut nomen apud eos inventum mutent, Valerius Maximus, cum l. l. dicit: »haec oblivio, quam Athenienses *ἀμνηστίαν* vocant«, ostendit apud vetustiores se hoc nomen invenisse et Athenis usitatum habuisse. Neque dubitari potest, quin Nepos verbis »oblivionis legem« verterit verba »*τὸ ψήφισμα τὸ τῆς ἀμνηστίας*«. Verisimile deinde etiam est Ciceronem, cum Phil. I 1 de amnestia post Caesaris mortem decreta dicat: »Atheniensiumque renovavi vetus exemplum, Graecum etiam verbum usurpavi, quo tum in sedandis discordiis usa erat civitas illa«, spectare verbum, »*ἀμνηστία*«, non »*μὴ μνησικακεῖν*«, quae vox postea magis exolevit neque in linguam Latinam transiit. Quaerentibus autem nobis, ex quo tempore et quo auctore verbum »*ἀμνηστία*« in usum venerit, fortasse licet ad eos scriptores recedere, e quibus omnes

fere posteriores hausisse videntur, ad Ephorum dico et Theopompum, nam hoc solum pro certo habuerim Xenophonti, Lysiae, Andocidi, Isocrati hoc verbum nondum notum fuisse et Aeschinis tempore nomen »μὴ μνησικακεῖν« in usu fuisse. Crediderim ab Ephoro (conferas ea, quae exponit E. de Leutsch in »Phil.« XXIV p. 453) aut Theopompo aut certe scriptore non multo posteriore hoc verbum de hoc uno Atheniensium facto usurpatum esse et hanc sententiam aliquamdiu retinuisse, quo factum est, ut ante Valerium numquam inveniatur, quia nostrae rei mentio non est servata, uno Dionysii loco ex orationibus fortasse hausto excepto, postea demum ad res similes translatum sensum generaliorem accepisse, ut idem fere sit atque »ἄδεια«.

Haec illius facti sunt nomina, res etiam aliis verbis significatur, imprimis verbis »ὅρκοι καὶ συνθῆκαι«, de quibus iam disseruimus, interdum verbo »ἄδεια« et verbo »συγγνώμη«.

Excursus ad caput primum.

§ 9. Quibus expositis addi oportet commentationem de quaestionibus nonnullis, quae propositi nostri pars non sunt, quibus tamen neglectis de rebus compluribus et eis huius dissertationis amplissimis recte diiudicari non potest. Maxime enim ad rem proximo capite tractandam nostra interest, quomodo pax Pausania auctore composita facta et perfecta sit, de qua re apud scriptores nihil fere traditur, deinde quid sint »*ὅρκοι καὶ συνθῆκαι*«, quo nomine saepe amnestiam notari iam demonstravimus, praesertim cum a recentioribus viris doctis haec verba de amnestia adhibita falso explicentur. Quae quaestiones quoniam nisi aliis pactis comparatis solvi non possunt, inquirendum mihi fuit in aliorum pactorum exempla, quae non ita pauca inveni, e quibus unum elegi, quod omnibus illis quaestionibus respondet, quod exstat apud Thucydidem IV 117—119.

Thucydides eo loco pluribus verbis narrat, quomodo anno 423 Lacedaemonii et Athenienses indutias fecerint, additque tabulas, quae omnes continent indutiarum condiciones, quas »*συνθήκας*« intellegendas esse, ut ceteros locos neglegamus, iam elucet e verbis: »*ταῦτα ξυνέθεντο*«, quibus initio capitis 119 has condiciones significat. Condicionibus autem compositis pax ipsa rata fiebat eo, quod paciscentes sese pacta servaturos esse libationibus adhibitis iurabant. Quam ob rem in tabularum fine praescribitur: »*σπείσασθαι δὲ αὐτίκα μάλα τὰς πρεσβείας ἐν τῷ δήμῳ τὰς παρούσας ἦ μὴν ἐμμενεῖν ἐν ταῖς σπονδαῖς τὸν ἐνιαυτόν*«. Quo fit, ut haec altera pacis faciendae pars mox appelletur *ὅρκοι* mox *σπονδαί*, ut Thuc. 119 dicit: »*ταῦτα ξυνέθεντο ..... καὶ ὤμοσαν*« et paucis verbis post eadem sententia: »*ξυνέθεντο δὲ καὶ ἐσπένδοντο*«. Ut deinde quaeramus, quis pactionem fecerit, tabulae ipsae ostendunt et Lacedaemonios cum sociis

et Atheniensium populum antea deliberavisse et singulas condiciones fecisse, composuisse autem pacem paucos viros a civitate electos, Athenienses tres totidemque Lacedaemonios, Corinthios autem et Sicyonios et Megarenses binos, Epidaurium unum. Atque eidem deinde iureiurando pacem sanxerunt.

Quibuscum comparanda sunt cetera exempla. Condicionum, *συνθηκῶν,* exempla alia habemus apud Thuc. V 18. 23. 47, cuius lapidis fragmentum servatum exhibetur in Corp. Inscr. Att. IV p. 14 sq., cuiusque foederis renovati fragmentum exstat in C. I. A. I p. 30, deinde aliud exemplum apud Xen. hell. V 1, 31, aliorumque fragmenta in C. I. A. I p. 16 idemque melius IV p. 13, I p. 27, p. 31, II p. 5, p. 23, p. 40, IV p. 10, p. 13, p. 18 sq., p. 20 sq., alia. Quorum compluribus etiam de iurisiurandi formula accuratius instruimur, quae saepe in condicionibus praescribitur. Plerumque paciscentes simpliciter iureiurando pollicentur se *τὰς συνθήκας* servaturos esse, ut Thuc. V 18, 9: »*ἐμμενῶ ταῖς συνθήκαις καὶ ταῖς σπονδαῖς ταῖσδε δικαίως καὶ ἀδόλως*«, V 47, 9: »*ἐμμενῶ τῇ ξυμμαχίᾳ κατὰ τὰ ξυγκείμενα δικαίως καὶ ἀβλαβῶς καὶ ἀδόλως καὶ οὐ παραβήσομαι τέχνῃ οὐδὲ μηχανῇ οὐδεμιᾷ*«, C. I. A. I p. 31 Atheniensium iusiurandum: [*ἐμμενῶ τοῖς*] *ξυντιθεμέ*[*νοις* — — —]*ν πιστῶς καὶ* [— —]. In aliis autem formulis summae condiciones comprehenduntur et repetuntur, ut C. I. A. I p. 16, p. 31 Bottiaeorum iusiurandum, II p. 41 inscr. 92, IV p. 10 sq., p. 20 sq., Xen. hell. VI 5, 2. Ratam autem pacem non esse factam nisi iureiurando dato praeter alios locos docet C. I. A. II p. 40 inscr. 90.

Quibus expositis manifestum est, cur pactiones, cuiuscumque sunt generis, vocentur »*ὅρκοι καὶ συνθῆκαι*«, ut C. I. A. II p. 40, iterum et saepius in eis inscriptionibus, quas edidit Köhler in »Mittheilungen des deutschen archaeologischen Instituts« 1877, p. 138—154 et 197—213, Lys. II 62. Isocr. VIII 96, XIV 12, Dem. XVII iterum et saepius, XXIII 10, locis compluribus in § 7 iam laudatis, multis aliis et apud hos et apud alios scriptores. Quodsi mireris plerisque locis, quibus haec duo verba coniungantur, dici »*ὅρκοι καὶ συνθῆκαι*«, paucis, ut exempli gratia apud Lys. VI 39. 45, XXV 34, Isocr. VI 21, Dem. XVII 2, »*συνθῆκαι καὶ ὅρκοι*«, quamquam re vera *αἱ συνθῆκαι* semper antecedant, causa sit, quod iurisiurandi verbis paciscentes obstringuntur et haec ita gravior sunt pacis pars. Eademque

de causa saepissime solum verbum *ὅρκοι* totam pactionem amplectitur, quia huic verbo semper subintellegendae sunt *αἱ συνθῆκαι*, quae eis sanciuntur. Neque minus licet solo verbo *συνθῆκαι* pacem significare, quia et hae omnia continent, quibus servatis pax servatur. Atque quoniam, ut supra demonstravimus, iusiurandum semper cum libationibus coniunctum erat, non raro pro *τοῖς ὅρκοις* ponuntur *αἱ σπονδαί*, ut pax aut »*συνθῆκαι καὶ σπονδαί*« vocetur, ut Thuc. V 18, 9, aut solum »*σπονδαί*«, quod cum apud alios scriptores invenitur tum sexcenties apud Thucydidem.

Restat, ut quaeramus, quis plerumque pacta fecerit quisque iuraverit. Ad pacem faciendam singularum partium legatos in unam urbem convenisse et consentaneum est et traditum. Anno 421 ad pacem, quae a Nicia nomen tulit, faciendam Atheniensium ceterarumque civitatum legatos Spartam convenisse e Thuc. V 17 sqq. demonstravit Ullrich (Beiträge zur Erklärung und Kritik des Thuk., progr. Hamburg. 1862, p. 4 sq.) ibidemque eos paulo post foedus conciliavisse. Anno 420 foedus inter Athenienses et Argivos, Mantineenses, Eleos Athenis ictum esse Thuc. V 46 dicit. Quis autem in pacis verba iuraret, plerumque in condicionibus, *συνθήκαις*, statuebatur. Eodem modo atque apud Thuc. IV 119 apud eundem V 19 et 24 eidem legati, qui condiciones composuerunt, iureiurando eas sanciunt, qui utroque loco utriusque civitatis sunt legati septemdecim. Etiam apud Xen. hell. V 1, 32 legati, qui Spartae adsunt, iusiurandum dant, et idem fit ib. VI, 3, 19. Sollemnis autem iurandi mos erat, ut in singulas civitates legationes mitterentur et coram his magistratus civitatis iusiurandum darent. Qua de causa apud Thuc. V 47, 9 Atheniensium senatus et magistratus iurare, prytanes iusiurandum accipere iubentur et similiter ceterarum civitatum magistratus. Xenophon VI 5, 3 narrat Athenienses legatos, »*τοὺς ὁρκωτάς*«, in singulas urbes emisisse, coram quibus summos civitatum magistratus, »*τὰ μέγιστα τέλη*«, iuravisse. In C. I. A. I p. 31 praescribitur: »*τὸν δὲ ὅ[ρκον ὀμόσαι Ἀθηναίων μὲν τὴν] βουλὴν καὶ τ* — — —«, ib. II p. 23 inscr. 52 senatus compluresque Atheniensium magistratus iurare iubentur et idem fieri videtur ib. p. 40 insc. 90. Ib. IV p. 20 praeter senatum praetores, »*[ἥ τε βουλὴ καὶ οἱ σ]τρατηγοί*«, iurare iubentur. In inscriptione, quam Köhler l. l. p. 139 edidit, statutum est: »*ὀμόσα[ι δ]ὲ τοῖς [ἥκουσιν Χίοις] μὲν τὴμ βου-*

λὴν κ[αὶ] τοὺς [στρατηγοὺς καὶ τα]ξιάρχους« et ibidem p. 201 iu Atheniensium et Thessalorum foedere: »ὀμόσαι δὲ Ἀ[θη]ναίων μὲν τοὺς στρ[ατη]γοὺς καὶ τ[ὴ]ν βουλὴν καὶ τοὺς ἱππάρχους καὶ τοὺς ἱππέ[α]ς«. Pactio autem, quam anno 405 Athenienses cum Selymbrianis fecerunt, C. I. A. IV p. 18 sq., per praetores facta est, et iuraverunt Atheniensium magistratus et cives omnes, qui Selymbriae tum erant, Selymbriani omnes. In pulchra denique tabula servata pactionis inter Athenienses et Chalcidenses anno 446/5 factae Atheniensium iubentur senatus et iudices iurare, Chalcidenses omnes, cf. Köhler »Mittheilungen d. d arch. I.« 1876, p. 184—197. Ad totam hanc paragraphum etiam conferantur Wachsmuth »hellenische Alterthumskunde« II p. 340 et Schoemann »griechiche Alterthümer« II p. 17.

Haec hactenus. Neque omnia, quae huc pertinent, colligere et exponere potui neque omnia, quae inveni, hoc loco adhibere volui. Quae protuli, sine dubio sufficient, quibus nisi de difficultatibus, quae proximis capitibus se offerent et partim allatae iam sunt, diiudicare possimus.

Caput secundum.

§ 10. Quoniam omnium harum rerum summa simpliciter dilucideque a Xenophonte narratur et a ceteris scriptoribus eius narratio bene sive affirmatur sive suppletur, oportere putes omnes viros doctos et vetustiores et recentiores eam recte intellegere eamque sequi, attamen videbimus recentiores, qui de his rebus scripserint, complures et recentissimos omnes fere fontium narrationem reliquisse et ex sua opinione falsa addidisse. Ut vero certe disserere possem, quis Xenophontem secutus esset, quis eum reliquisset, quis primus recte de hac quaestione disseruisset, quis primus falsa intulisset, denique quid singuli omnes docuissent, praesertim cum is, qui unus uberius de his rebus scripsit, falso haec doceat, in omnes libros eius temporis historiam narrantes, quotquot assequi potui, inquisivi.

Semper fuerunt, qui brevitatis studio, non neglegentia statim post pacem et reditum exsulum bello Eleusinio neglecto amnestiam narrarent, ut »Chronicon Carionis« editio a. 1594 p. 236, Raumer »Vorlesungen über die alte Geschichte« 1821, II p. 9, alii.

Omnes autem, qui olim accuratius has res exposuerunt, uno Taylore excepto recte Xenophontem secuti pacem et amnestiam plane seiungunt, ut Baumgarten »Uebersetzung der allgemeinen Welthistorie« pars V, a. 1747, p. 387, Guthrie et Gray »allgemeine Weltgeschichte« versa a Heynio, a. 1766, II p. 813, Goldsmith »Geschichte der Griechen« vers. Germ., 1777, I p. 272, Stenyan »the Grecian history«, 1781, II p. 21, Gillies »Geschichte von Altgriechenland« vers. Germ., 1797, p. 137—139, et huius saeculi complures viri docti, ut Hinrichs »de Theramenis, Critiae et Thrasybuli rebus et ingenio«, 1820, p. 42—46, qui primus post Pernerum »amnestia sive lex Attica oblivionis«, Jenae 1670, quae dissertatio recte oblivioni

data est, fusius in hanc quaestionem inquisivit et plurima bene exposuit, eo autem a vero aberravit, quod p. 42 expeditionem Eleusiniam in annum 402 a. Chr. differt et omnes trigintaviros interfectos esse docet et p. 46 putat ab amnestiae beneficio neminem exclusum esse, ita ut obscurum sit, quo referat iuramenta apud Andocidem tradita, deinde Schlosser »universalhistorische Uebersicht der Geschichte der alten Welt«, 1826, I, 2 p. 164 sq., Sievers »commentationes hist. de Xen. hellenicis«, 1833, p. 58, idem »Geschichte Griechenlands«, 1840, p. 85--87, qui, quamvis omnia bene disserat, tamen unum errorem admittit in proxima paragrapho tractandum, Scheibe »die oligarchische Umwälzung zu Athen«, 1841, p. 131 sq. et 137, Wachsmuth »hellenische Alterthumskunde« ed. II, 1846, I p. 646, Hermann »Lehrbuch der griech. Staatsalterthümer« ed. V, 1875, § 168,9, Kortüm »Geschichte Griechenlands«, 1854, II, p. 7—10; denique e recentissimis duo homines cum in universum propter doctrinam et diligentiam imprimis tum in hac re soli laudandi: Frohberger »ausgewählte Reden des Lysias« pars I, 1866, p. 16 et 177, et ed. min., 1875, p. 18 et 140, et Breitenbach »Xenophon's Hellenika« tom. I, 1873, p. 144—149.

§ 11. Taylor autem in vita Lysiae, or. Graec. ed. Reiske, vol. VI, 1772, p. 136, quo loco Xenophontis et Nepotis verba confuse commiscet et novos errores ipse immiscet, amnestiam cum pace ita coniungit, ut ea, quae Xenophon post Eleusina recuperatam facta esse tradit, pacis a Pausania reconciliatae partem faciat. Quod quoniam contra omnes fontes repugnat, neque Taylor dicit, cur sic docuerit, iam pluribus verbis refutandum non est. Mirandum autem est eundem fere errorem iterum nostro saeculo occurrere in Niebuhrii lectionibus de historia antiqua, quas filius eius edidit a. 1848, II p. 211, ubi id quoque falso docetur trigintaviros tum Eleusina migravisse.

Dubium vix est, quin Taylor et Niebuhr vel eius discipulus, qui lectionem excepit, fontibus non satis intellectis neglegentia, non consulto, sic docuerint, nam ut perpauci loci hanc interpretationem patiantur, praeter multos alios locos ea, quae Xenophon et Iustinus tradant, hoc modo explicari non posse sole est clarius. Hoc recte ei intellexerunt, de quibus nunc mihi est agendum, qui post bellum Eleusinium finitum amnestiam decretam negari non posse senserunt,

sed nihilominus cum pace priore amnestiam, ad quam ceterorum fontium narrationes eos referre verisimile est, quamquam non dicunt, coniunctam iam fuisse sibi persuaserunt. Qua ratione adducti bis statuunt amnestiam decretam et iureiurando sanctam esse, et fingere videntur priorem amnestiam pacis Pausania auctore factae condicionem fuisse et ab ea exclusos esse eosdem, quos Xenophon a pace exclusos narrat, alteram autem Eleusine urbe recuperata decretam etiam hos complexam esse. Quam ob rem oportet eos iusiurandum apud Andocidem traditum ad priorem referre ibique post verba: »*Καὶ τῶν ἕνδεκα*« inserere verba: »*Καὶ τῶν ἐν τῷ Πειραιεῖ ἀρξάντων δέκα*«. Hanc sententiam primus, quem ego quidem reperire potui, protulit Mitford Anglicanus, qui in historia sua Graeciae in Eichstaedtii vers. Germ. vol. V, 1803, p. 93 diserte docet pacis condicionibus omnibus Atheniensibus, trigintaviris et nonnullis aliis exceptis, iura restituta esse, »wenn sie Friedfertigkeit und eine allgemeine Amnestie eidlich angelobten«, et p. 97, postquam bellum Eleusinium narravit, dicit: »Vorschläge zum Frieden und zu einer vollkommenen Amnestie wurden gethan und angenommen«. In priore igitur sententia verbo »Friedfertigkeit« recte vertit Xenophontis »*εἰρήνην ἔχειν*«, sed verba: »und eine allgemeine Amnestie« ex suis addidit iuramentis apud Andocidem traditis falso huc relatis. Quam eius rationem plane secuti sunt Thirlwall »history of Greece« Londini s. a. IV p. 208 et Plass »Geschichte des alten Griechenlands«, 1834, III p. 483 sq., qui primus inter nostrates huic sententiae astipulatus est.

Qui cum plane Mitfordium sequerentur, alii extiterunt, qui Xenophontem sequi vellent et tamen hanc alteram sententiam ei repugnantem non plane fugerent, ut Sievers l. l., qui quamquam, ut supra diximus, in rebus narrandis Xenophontem sequitur, tamen p. 87 annot. 10 Andocidis verba (p. 39 = I, 81): »*Καὶ ἔδοξε μὴ μνησικακεῖν ἀλλήλοις τῶν γεγενημένων*« ad pacem priorem refert, et Schlosser »Weltgeschichte für das deutsche Volk« cur. Kriegk, II, a. 1844, p. 14 sq., et Curtius in prima historiae Graecae editione, III, a. 1867, p. 40.

Attamen, qui Mitfordii ceterorumque sententiam accuratius cum eis, quae scriptores tradunt, compararet, eum intellegere oportebat cum hac sententia perpaucos locos congruere, quia nullus est, qui

amnestiam pacis condicionem fuisse doceat, multi autem, quos illos viros doctos ad priorem amnestiam suam revocavisse oportet, quibus luce clarius appareat post exsulum reditum amnestiam ab Atheniensibus ipsis decretam esse. Quod sensit Grote, qui in historiae Graeciae editione New-Yorkiana, 1861, vol. VIII p. 279 de pacis condicionibus dicit: »and that no man should be molested for past acts, except the Thirty, the Eleven and the Ten, who had governed in Peiraeus« et p. 280: »Again Eleusis became incorporated in the same community with Athens, oaths of mutual amnesty and harmony being sworn by every one«, et postea p. 292: »It was the first measure of Thrasybulus and his companians, after concluding the treaty with Pausanias, and thus reëntering the city, to exchange solemn oaths of amnesty for the past with those against whom they had just been at war. Similar oaths of amnesty were also exchanged with those in Eleusis, as soon as that town came into their power. The only persons excepted from this amnesty were the Thirty, the Eleven .... and the Ten who had governed in Peiraeus. Even these persons were not peremptorily banished: opportunity was offered to them to come in and take their trial of accountability«. E quibus non pro certo dixerim, quae Grotei fuerit sententia. Primus locus, qui per se eodem sensu explicari potest, quem solum rectum esse et iam vidimus et videbimus, tamen propter loci tertii verba indicare videtur auctorem amnestiam pacis habere condicionem. Tertio autem loco, ut difficultatem, quam Mitfordio et eis, qui eum sequuntur, obstare modo demonstravimus, vitaret, addidit post exsulum reditum Thrasybulo auctore iureiurando amnestiam sanctam esse, refert igitur huc Nepotis locum supra exscriptum et iuramenta apud Andocidem servata et alios locos multos. Eo autem ab hominibus iam citatis differt, quod non docet Eleusine recepta amnestiam iteratam et auctam esse, sed tantum cum eis, qui Eleusine fuissent, communicatam. Qua de causa haec ei non est altera amnestia, sed eiusdem amnestiae decretae actus quasi alter altero minor, neque statuere potest eam etiam trigintaviros, undecimviros, decemviros complexam esse. Quae Grotei sententia, quamquam melior fortasse est quam omnes ceterae et allatae et afferendae, tamen accipi nequaquam potest, quia nullus est locus, quo ad eam adducamur, Xenophon autem et Iustinus et alii eam probari vetant,

id quod e sequentibus satis elucebit. Quia vero neque Grote neque ceteri viri docti nominati exponunt, cur contra fontium auctoritatem egerint, aut quomodo singula, quae scriptores tradunt, interpretentur, neque omnino indicant novam se sententiam proferre, haec omnium opinio satis refutata haberi potest, postquam demonstravimus eos contra fontium auctoritatem fecisse neque in re ipsa esse, cur contra eam faciant.

Sed maiore negotio nunc opus est, quia nostrae aetatis vir doctus R. Grosser id munus, quod illi neglexerunt, suscepit. Qui libello »die Amnestie des Jahres 403 v. Chr.«, 1868, partim Groteum secutus partim Thirlwallium suam de duabus amnestiis promulgatis sententiam finxit et eam cum fontibus traditis congruere multis argumentis diligenter conquisitis demonstrare conatus est. Quam sententiam non paucis viris doctis probavit, inter quos praeter ceteros nominandi sunt Curtius, qui in recentissimis historiae Graecae editionibus plane eum secutus est, et Rauchenstein, qui, postquam saepius de hac quaestione sententiam suam mutavit, in sexta et septima orationum Lysiacarum selectarum editionibus Grosseri sententiam accepit, quam retinuit C. Fuhr, qui nuper editionem octavam curavit, et Hertzberg »Hellas und Rom«, I, 1879, p. 370 sq., quam refutare nemo adhuc conatus est, nisi quod Frohberger l. l. ed. min. p. 18 annot. 25 hanc sententiam sibi non probatam esse annotat, et Breitenbach l. l. in annotationibus diligentissimis, quamquam Grosseri librum non laudat, tamen sententiam contrariam sic exponit, ut eum sibi notum neque probatum esse ostendat.

In sua autem sententia exponenda plane eadem ratione utitur, qua ego ductus sum, quo factum est, ut de multis consentiamus, quamquam pauca ei debeo, quia plurima ipse inveneram, antequam in eius annotationibus exposita legerem, atque praeterea minima omnium argumentorum meorum pars ab eo adumbratur. Quae improbanda mihi viderentur, pauca apud eum inveni, quorum nonnulla postea commemorabo, cetera ipse facile inveniet.

§ 12. Eodem modo ac Mitford et qui eum secuti sunt, Grosser docet bis amnestiam constitutam et iureiurando sanctam esse, priorem pacis Pausania auctore factae condicionem fuisse, alteram bello Eleusinio finito decretam esse ita, ut prior augeretur et tum omnes Athenienses, eos quoque, qui a priore diserte exclusi es-

sent, complecteretur. Groteum autem sequitur, cum docet priorem amnestiam, quae pacis condicio fuisset, statim post exsulum reditum Thrasybulo auctore decretam et iureiurando sanctam esse, dicit enim p. 13: »darum war es die erste Handlung Thrasybul's nach der Heimkehr und nach dem Festzuge auf die Akropolis sofort eine erste Volksversammlung nach der nahegelegenen Pnyx zu berufen und nach erfolgter Abstimmung die einstweilen vereinbarte Amnestie zum Volksbeschlusse erheben und feierlich beschwören zu lassen«. Verba autem »ὅρκοι καὶ συνθῆκαι«, quibus oratores saepe amnestiam appellare iam vidimus, ita vult intellegi, ut αἱ συνθῆκαι sint pacta a Pausania composita, οἱ ὅρκοι haec iuramenta statim post reditum dicta.

Sed iam haec pauca, quae summa sunt eius dissertationis, si accuratius considerantur, nequaquam possunt probari. Falso statuit pacem post exsulum reditum iureiurando sanctam esse. Nam reditus ipse summa erat pacis condicio, ex eis autem, quae supra (§ 9) disseruimus, apertum est pacem non ταῖς συνθήκαις compositis ratam factam esse, sed τοῖς ὅρκοις iuratis, quam ob rem pro certo habendum est utramque paciscentium partem iuravisse, priusquam altera pars in urbem rediret itaque summam condicionem efficeret. Solis condicionibus neque exsules neque urbani satis obstricti erant, et tamen, priusquam in unam civitatem reconciliarentur, utrique erant obstringendi. Etiam minus ea obtineri possunt, quae loco modo allato docet, Thrasybulo auctore contionem convocatam esse, quae suffragiis latis amnestiam in condicionibus constitutam populi decretum reddidisset. Quomodo tandem fieri potuit, ut de re iam constituta suffragia ferrentur? Nam quae res suffragiis permittitur, in utramque partem decerni potest. Sed quid factum esset, si exsules, qui maior certe contionantium pars fuerunt, amnestiam rogatam antiquassent? Dicas pacis condicionibus eos obstrictos fuisse, ut probarent. Sed ineptissimum est de re suffragia ferre, quae iam est decreta. Quas difficultates Grosserum effugere non posse singulis locis pertractatis apparebit.

Iam hic commemorandum est aliud argumentum, ad quod iterum et saepius Grosser refugit, longum tempus inter reditum exsulum et expeditionem Eleusiniam intercessisse. Quod si recte dictum esset, nonnulli loci, quibus »κατελθόντες« Athenienses dicuntur a-

mnestiam decrevisse, eius sententia mihi obstarent, quod, quamquam pro certo demonstrari non posse infra videbimus (§ 21), probabilitatis quidquam habere negari non potest. Sed ne haec quidem sententia ullo loco firmatur. Immo iam vidimus propter Iustini verba »interiectis diebus« verisimile esse breve intercessisse tempus, neque quod Xenophon dicit »ὑστέρῳ χρόνῳ« contra facit, nam etiam de rebus paulo post gestis haec verba adhiberi possunt, exempli gratia Thuc. V 27,1 dicit: »αἱ πεντηκοντούτεις σπονδαὶ ἐγένοντο καὶ ὕστερον ἡ ξυμμαχία«, quam paulo post factam esse cum aliis constat tum eo, quod V 24, 2 ipse dicit: »ἡ ξυμμαχία ἐγένετο μετὰ τὰς σπονδὰς οὐ πολλῷ ὕστερον«. Neque in rebus ipsis est, cur de longo tempore intermisso cogitemus. Ut tringintaviri mercenarios conducerent, non longo tempore opus erat, praesertim cum non veridissimile sit eos mercenarios, quos Lysander conduxerat (Xen. hell. II 4,29) et quos pace facta aut ab eo ipso aut a Pausania dimissos esse consentaneum est, eorum castra sequi paratissimos fuisse et ab eis, qui Lacedaemoniorum auxilio se destitutos viderent, mercede conductos esse. De duobus locis, quibus Grosser nititur, infra (§ 26 erit disputandum.

Addendum iam hic est aliud, quo eius sententia non prorsus refellitur, quod tamen quam maxime eam reddit suspectam. Inter omnes locos, qui multi amnestiae mentionem faciunt, ne unus quidem invenitur, qui duas amnestias indicet aut etiam Grossero interprete indicare dici possit. Quam difficultatem p. 22 eo tollere conatur, quod posteriorem tam parvi momenti fuisse statuit, ut plerumque neglecta sit. Sed, ut de singulis postea loquar, mirandum certe est eos, qui hanc commemorent, neglegere alteram graviorem et omnes, qui hanc respiciant, diserte dicere, quando decreta sit, quando illa decreta sit, nisi coniectura inveniri non posse.

Quibus in universum praemissis singuli loci, quibus vir doctus suam sententiam firmari demonstrare conatur vel quos potius ex sua sententia interpretatur, perlustrandi sunt.

§ 13. Sed antequam ad singula accuratius recensenda transeamus, pauca dicenda sunt de alia quaestione, quae cum nostra per se non cohaeret, quam tamen Grosser arctissime cum ea coniunxit et in qua dissertationis fundamenta posuit, quaestionem dico illam

de Xenophontis hellenicis his quinque lustris saepissime tractatam, ad certum finem etiam nunc non perductam.

Postquam iam alii invenerunt in hellenicis saepe occurrere locos sententiis et verbis parum ornatos et perpolitos, multas res aequo brevius narrari, alias non neglegendas omitti, primus anno huius saeculi LV Tell in »Philologo« X p. 567—569 protulit sententiam non tradita nobis esse Xenophontis ipsius hellenica, sed epitomen eorum post Plutarchi aetatem a grammatico quodam compositam, de qua fusius disseruit Campe in praefatione ad hellenicorum versionem Germanicam, 1856, quam deinde suo Marte iterum invenit et exposuit Kyprianos »περὶ τῶν Ἑλληνικῶν τοῦ Ξενοφῶντος«, Athenis 1858, quam acceperunt Jungclausen, »de Campio et Büchsenschützio Xenophontis hellenicorum, interpretibus«, 1862, Dittrich-Fabricius in ann. phil. et paed. tom. XCIII p. 455 sq., Meyer »de Xenophontis hellenicorum auctoris in rebus scribendis fide et usu«, 1867, denique praeter ceteros Grosser »Ueber die Unechtheit der Xenophontischen Hellenika« in ann. phil. et paed. tom. XCIII p. 721—732, diss. iam laudata, »Plutarch und der Hellenikaauszug« in ann. phil. et paed. tom. CV p. 723 sqq., »Zur Charakteristik der Epitome von Xenophons Hellenika«, 1873, »Die Hellenikafrage und ihre Polemik« in »Zeitschrift für das Gymnasialwesen« tom. XXX p. 257 sqq., qui summa constantia etiamnunc hanc sententiam defendit, quamquam multi eam impugnaverunt, inter quos praecipue nominandi sunt Pantazides, Hertlein, Vollbrecht, Büchsenschütz, Beckhaus, Breitenbach, Nitsche, Richter, Kurz, nemo fere praeter eum ipsum, ne Campe quidem, impetus repulsare conatus est. Mihi quoque, etiamsi non negaverim non omnia, quae a Vollbrechtio et aliis contra Grosserum disputata sint, probanda esse, tamen haec sententia de hellenicis in epitomen coactis nequaquam probata est, sed recte refutata esse videtur, atque spero me ipsum hoc dissertationis capite demonstraturum esse loco nobis tractando falso Grosserum hac ratione usum esse. Nam quamquam in libri praefatione dicit: »Damit soll nun keineswegs gesagt sein, dass die Anerkennung dieser Hypothese eine nothwendige Bedingung sei, ohne welche die in dieser Schrift von mir vertretenen Ansichten nicht bestehen könnten«, tamen ne uno quidem loco operam dat, ut demonstret, quomodo hac sententia neglecta illa de amnestia ab eo defensa obtineri possit, immo saepe

ad eam refugit et alio loco (»Zeitschrift f. d. Gymn.« tom. XXX p. 260) hunc libellum illa sententia niti ipse confitetur. Apertum autem est male, quae de duabus amnestiis doceat, fulta esse, si tali opinione perpaucis viris doctis probata nitantur. Et profecto non tantum, si hanc sententiam repudiamus, ea, quae de amnestia docet, cadere videbimus, sed ne eis quidem, qui eam accipiant, duas amnestias cum eo statuere licere.

§ 14. Ab hac autem opinione Grosser p. 8 argumentationem incipit. Docet, ut supra (§ 12) diximus iam, cum a Pausania pax reconciliaretur, amnestiam statutam et exsulibus in urbem reversis iureiurando omnium civium convocatorum sanctam esse. Quoniam vero in hellenicis loco supra (§ 2) allato haec non narrantur, epitomatorem haec multaque alia omisisse putat et demonstrare conatur. Iam in eis, quae de pace a Pausania et quindecimviris Sparta missis composita in hellenicis leguntur, lacuna ei videtur inesse. Recte dicit, quia totum agmen post pacem compositam e Piraeeo in urbem intravisset, statuendum esse apud Pausaniam, cum de pace ageretur, legatos utriusque factionis adfuisse, ab exsulibus igitur e Piraeeo nonnullos in urbem missos esse. Cuius legationis quoniam in hellenicis mentio non fit, epitomatorem putat eam omisisse. Sed unde sciat vir doctissimus Xenophontem ipsum eam narravisse? Cur non auctor ipse eodem iure atque epitomator has res breviter narrare et ea, quae minus gravia erant, omittere poterat, praesertim cum talia facta esse per se intellegeretur? Hac ratione permultas aliorum scriptorum narrationes in epitomen coactas esse demonstrari potest. Pausanias et viri Sparta missi pacem fecerunt, quod eos non solos fecisse sed cum legatis utriusque partis manifestum est et verbo *διήλλαξαν* continetur. Etiam plus Xenophon reticuit. Ut supra (§ 9 et § 12) exposuimus, pro certo habendum est condicionibus, quarum summam Xenophon affert, compositis iureiurando pacem sanctam esse, priusquam exsules urbem intrarent, quod non magis dignum habuit, quod diserte narraretur, cum in unaquaque pace facienda hoc fieri omnibus Graecis notum esset. Quis autem iuraverit, quoniam, ut supra (§ 9) demonstravimus, usus non constabat, pro certo dici non potest, quamquam reputantibus nobis, quam gravis res gesta sit et quam facile alterius partis legatis ad alteram fuerit aditus, vero proximum est non legatos solos, qui coram Pausania de

pace egissent, in eius verba iuravisse, sed urbanorum legatione in Piraeeum et exsulum in urbem missa omnes utriusque partis viros iureiurando obstrictos esse. Quae sententia firmatur eis, quae Thrasybulus (§ 42) suos huius iurisiurandi commonefaciens dicit: »ὧν ὀμωμόκατε« et »εὔορκοι καὶ ὅσιοί ἐστε«. Cuius iurisiurandi verba quae fuerint, inveniri non potest, quia, nisi forte Andocides I 103, haud scio an nemo eius faciat mentionem. Eodem autem modo ac supra (§ 7) demonstravimus huius pacis condicionibus non solum constitutum esse, quae ratio exsulibus cum urbanis intercessura esset, sed etiam quae utrisque cum Lacedaemoniis, nunc statuendum est eodem iureiurando, quod de condicionibus dedissent, utrosque erga Lacedaemonios obstrictos esse et suo iureiurando Lacedaemonios, quorum regem et ephoros duos et legatos quindecim iuravisse putaverim, erga Athenienses coniungendos. Nam etiam hoc oportere factum esse, antequam se coniungerent et sic pacem efficerent, apertum est.

Pluribus verbis deinde Grosser disserit de Xenophontis verbis: »εἰ δέ τινες φοβοῖντο τῶν ἐξ ἄστεος, ἔδοξεν αὐτοῖς Ἐλευσῖνα κατοικεῖν«, quae docet non condicionis esse partem, quam nos supra (§ 2) habuimus et omnes ante eum habuerunt, sed scriptoris ipsius enunciationem, quam sententiam probandam non esse, quamquam Curtius l. l. III p. 753 annot. 22 eam acceperit, vix est, cur demonstretur, quia ego quidem dubitaverim, num praeter Curtium ulli viro docto aut placuerit aut umquam placere possit, nam complures et magnae difficultates ei obstant, pro ea ne unum quidem argumentum recte afferri potest. Si haec verba condicionis pars non essent, male positus esset optativus φοβοῖντο, sed quoniam res vere facta tum indicata esset, indicativus adhibendus fuit, nequaquam autem dici potuit αὐτοῖς, quod ad τινές referri non potest, id quod Grosser ipse vidit, sed cum eo »αὐτοῖς«, quod omnes codices praebent, in »τούτοις« mutare est coniectura audacior, quam quae nulla causa cogente admitti possit. Praeterea verba ipsa satis ostendunt hanc esse pacis condicionem, nam in re vera narrata neque sententia condicionalis apta est neque verbum »ἔδοξεν«, sed verisimillimum est tum eum simpliciter narraturum fuisse: κατῴκησαν. Quibus de causis si Grosseri sententia reiicienda est, neque in connexu rerum quidquam inest, quod impediat, quominus a paciscentibus hoc statutum

esse putemus. Certe urbani eis auctoribus, qui plura peccaverant, hanc condicionem postulaverunt, et Pausanias ceterique Lacedaemonii, qui aderant, libenter concesserunt, quia sic non plane amicos deseruisse videbantur et sperare poterant Atticam hac condicione in duas partes divisam debiliorem et Lacedaemoniis minus metuendam fore. Neque exsulum ipsorum multum interesse potuit omnes urbanos in urbe retineri, praesertim cum Eleusis nihilominus a trigintaviris eorumque amicis retineretur. Neque in Thrasybuli oratione, quae apud Xenophontem legitur, est, quod huic rationi obloquatur, quoniam apud eos urbanos contionatur, qui Eleusina non migraverunt et ita re vera sine ullo praesidio popularibus reversis traditi sunt. Legati autem Thebani ad omnes urbanos conversi dicere possunt (hell. III 5,9): »ἐκεῖνοι (οἱ Λακεδαιμόνιοι) . . . παρέδοσαν ὑμᾶς τῷ πλήθει« etc., quoniam et eorum interest quam maxime Lacedaemoniis obtrectare et re vera etiam ei urbani, qui Eleusina se contulerant, postea prorsus ab eis deserti populo sese dedere coacti sunt. Iusiurandum autem apud Andocidem traditum, in quo haec condicio non commemoratur, in § 6 iam diximus et in § 19 demonstrabimus ad hunc Xenophontis locum omnino non esse trahendum Grossero autem ipsi ea, quae de hac enunciatione disputavit, non bene probata esse, ex eo elucet, quod ipse p. 10 dicit: »dann hindert uns am Ende wenig die Worte εἰ δέ τινες . . . κατοικεῖν nicht als einen Bedingungsparagraphen . . . . aufzufassen«.

Quibus argumentis postquam satius demonstravimus hanc enunciationem esse pacis condicionem, simul mihi licet ex his verbis argumentum petere contra illam sententiam de amnestia simul cum pace statuta, nam si condicionibus statutum esset amnestiam post exsulum introitum omnibus iureiurando vovendam et sanciendam esse, mirum sine dubio esset, si tali condicione addita eidem, qui amnestiam statuissent, ostendissent se ipsos existimare multis urbanis conducere amnestia non confidere. Sed si sola pax conciliata erat, neque amnestia statuta omnes a poenis tutos reddiderat, bene haec condicio addi potuit, et, ut supra (§ 6) exposuimus, verisimile est amnestiae loco eam additam esse. Neque minus e Thrasybuli oratione ipsa optime colligi potest amnestiam pacis condicionibus statutam non esse, neque enim, si statuta esset, recte diceret Lacedaemonios sine praesidio urbanos exsulibus tradidisse, nam maximum

habuissent amnestiae praesidium, quod idem cadit in Thebanorum orationem iam laudatam. At quominus quisquam mihi obiiciat falso quidem Grosserum amnestiam pacis habere condicionem, sed bis amnestiam promulgatam esse tamen esse statuendum, sua enim sponte Athenienses statim post reconciliationem omnes iniurias oblivione conterere constituisse, impedire manifestum est verba »ὅρκοι καὶ συνθῆκαι«.

Ea autem, quae de hac pacis condicione disseruimus, tantum abest, ut refutentur eo loco, quem e Diodoro in § 3 attuli, ut optime firmentur, nam verbum συγχωρεῖν etiam mea sententia accepta non postulat sententiam iubendi, sed est, ut Grosser recte p. 11 dicit, concedere, permittere. Cives quosdam Eleusina migrare iussos esse neque Xenophon verbo »ἔδοξεν« dicit. Quomodo tandem fieri potuit, ut, si quis metueret, Eleusina migrare iuberetur, cum nisi singuli homines ipsi nemo scire posset, quis pace confideret quisque diffideret? Itaque suo quemque iudicio aut Eleusina se conferre aut in urbe remanere oportuit. Est autem condicionibus statutum, ne ad trigintaviros emigrare et eorum partem civibus reconciliatis infestam augere prohiberetur. Atque haec eadem Diodorus narrat verbis laudatis.

Ea autem verba, quae Grosser e Lysia XXV 9 affert: »εἰσὶ δὲ οἵτινες τῶν Ἐλευσῖνάδε ἀπογραψαμένων« etc., neque pro eius neque pro mea faciunt sententia, quomodo intellegenda sint, infra (§ 28) videndum erit. Non vero magis quam Diodorus Nepos l. l. verbis: »ne qui ... afficerentur exilio« huic meae explicationi obsistit, nam praeter homines diserte exemptos emigrare coactus est, ut exposuimus, nemo.

Quam ob rem non recte Iustinus l. l. dicit: »decem tyrannos ex urbe Eleusina migrare ad ceteros iubet«, de quo errore supra (§ 4) disseruimus. Est autem apertum hunc Iustini locum multo minus cum Grosseri sententia convenire quam cum mea, neque eius sententia probata inveniri, quomodo Iustinus in hunc errorem inductus sit. Nam quae p. 12 coniicit fortasse Iustinum apud Trogum legisse: »decem tyrannos ex urbe migrare iubet, qui Eleusina ad ceteros se conferunt«, et sic corripuisse, verba sunt inania, quia iubendi sententia falso illata etiam tum deleta non est.

Eodem autem modo atque hoc loco Iustinus paucis lineis post verbum »iubere« falso adhibet, cum dicit: »populus, quem emigrare iusserant, in urbem revocatur«, nam verbi iusserant subiectum, quod vocatur, non intellegendi sunt tyranni, quoniam ei, qui ab his in exsilium missi erant, iam reverterant, de eis autem, qui tyrrannos Eleusina statim secuti erant, etiamsi Grosser de Lysiae verbis laudatis recte disputavisset, non melius cogitatur, quia hi non eorum iussu sed sua sponte eos secuti erant. Mihi quidem simplicissimum videtur verbi »iusserant« subiectum intellegere eos, a quibus »populus revocatur«, et statuere Iustinum hoc loco eundem errorem admisisse, quem supra, et populum hoc loco nominari eos urbanos, qui illa pacis condicione usi Eleusina migraverant, quorum Iustinus praeter decemviros urbanos neminem commemoravit, qui fere omnes tunc ducibus interfectis in urbem redierunt.

§ 15. Narrat deinde Xenophon Pausaniam exercitum dimisisse, exsules urbem intravisse et in arcem ascendisse, postquam inde descendissent Thrasybulum orationem habuisse, quod in contione omnium civium factum esse et oratio ipsa ostendit et verba, quae eam sequuntur: »ἀνέστησε τὴν ἐκκλησίαν«. Hac contione Grosser p. 13 docet amnestiam decretam et omnium iureiurando sanctam esse. Sed hoc ipse commentus est, cum neque Xenophon neque quisquam alius talis rei mentionem faciat. Haec quoque arbitratur Xenophontem narravisse, epitomatorem omisisse. Huius opinionis argumentum sibi videtur invenisse in eo, quod Thrasybulus § 42 verbis iam allatis iurisiurandi dati suos commonefaciat. Sed iam demonstravimus (§ 14) haec verba intellegenda esse de iureiurando ante exsulum reditum dato. Xenophontis autem oratio iam idcirco correpta ei videtur, quod contio convocata esse non diserte dicatur, sed convocatam eam esse e connexu sententiarum satis elucet et Xenophontem ipsum, quem non breviter res narravisse non constat, diserte hoc dixisse e connexu sententiarum pro certo demonstrari non potest, nam sufficiebat narrare: ab arce descenderunt, scilicet in Pycna, ubi semper contiones erant et orationes habebantur, et tum Thrasybulus hanc habuit orationem. Qua de causa cum sententia sit plena, quamquam breviorem eam esse negari non potest, tamen enunciati verba ipsa, quae nisi verbis »οἱ στρατηγοί« deletis sicut modo sententiam exposui, explicari non possunt, lacunam indicant, id quod

iam vidit Wyttenbach et post Schneiderum fere omnes interpretes et editores concedunt. Non enim intellegitur, quo verba »*οἱ στρατηγοί*« referenda sint. Intellegebantur olim subiectum verbi *κατέβησαν,* quam interpretationem secutus Scheibe l. l. p. 135, quamquam non dilucide exponit, quid sentiat, docere videtur duces solos in arcem ascendisse, populum statim cum tribus illis milibus in Pycna convenisse. Sed verba »*οἱ δ' ἐκ τοῦ Πειραιῶς ἀνελθόντες σὺν τοῖς ὅπλοις* (quae sunt arma, non, ut Scheibe perperam docet, *ἱερὰ σκεύη,* cf. Lysiam XIII 81 et quae Frohberger ad hunc locum de verbis *ἔθεντο τὰ ὅπλα*« annotat) *εἰς τὴν ἀκρόπολιν*« satis comprobant omnes exsules in arcem ascendisse, quos deinde in contione affuisse elucet e Thrasybuli verbis (§ 42): »*οὐ μέντοι γε ὑμᾶς*« etc., quibus appellantur. Sequitur igitur, ut recte Curtius l. l. III p. 40 exponit, ut exsules omnes cum ducibus descenderint in Pycna ad urbanos, nam etiam hos in arce fuisse, ut Breitenbach ad hunc locum annotat, neque traditum est neque verisimile. Quibus de causis verba »*οἱ στρατηγοί*« ad »*κατέβησαν*« trahi non possunt, neque cum sequentibus possunt coniungi. Itaque quia, cur interpolata ea habeamus, non invenitur causa, verbum cum eis coniungendum excidisse oportet. Quae lacuna optime expletur Cobeti coniectura, quam Kurz et alii probaverunt: »*ἐπεὶ δὲ κατέβησαν,* [*ἐκκλησίαν ἐποίησαν*] *οἱ στρατηγοί*«. Qua lectione omnes difficultates tolluntur, et quia verba *κατέβησαν* et *ἐποίησαν* in easdem litteras excidunt, facile librario contingere potuit, ut ab altero ad alterum aberraret.

Ne ipse eadem ratione, quam impugno, hoc loco uti cuiquam videar, monendum mihi est Grosserum hic duas rationes diversas confudisse. Multas invenisse sibi videtur res a Xenophonte narratas, omissas ab epitomatore, sed has omnes nisi eis rebus, quae narrantur, comparatis invenire non potest. Hoc autem loco, si ipsa verborum structura lacuna manifesta est, epitomator eam non admisit, quippe qui non minus quam auctor ipse semper studeat plenas et rectas sententias componere. Oportet igitur ipsum Grosserum statuere ex epitome ipsa nonnulla verba excidisse, infelici autem casu totam amnestiae decretae narrationem excidisse profecto ne ipse quidem contendet, praesertim cum in § 43, ubi vera amnestia narratur, nullo vestigio indicetur eam non esse nisi prioris repetitionem et auctionem.

Atque etiam contra hanc sententiam in hac contione ante Thrasybuli orationem habitam amnestiam decretam esse, facit haec oratio ipsa. Nam vero proximum est, si hoc factum esset, Thrasybulum non supersessurum fuisse eius mentionem facere et urbanorum vitiis hanc exsulum moderationem et humanitatem opponere. Thebanorum autem verba iam laudata patet non difficilius de amnestia paucis mensibus post exsulum reditum decreta intellegi quam de hac amnestia a Grossero ficta.

Quod denique vir doctus p. 14 dicit etiam hanc orationem ab epitomatore valde correptam esse, quamquam ad nostram quaestionem non pertinet, plane neglegere nolo. Num Xenophontem ipsum hanc orationem neque mutatam neque correptam libro suo inserere oportuit? Si vero, ut plerumque fit, summum orationis argumentum tradere voluit, cur non ipse eodem iure atque epitomator eam corripere potuit? Prooemium deest. Cur non Xenophon ipse prima Thrasybuli verba minus gravia omittere potuit? Sub finem oratio recta mittitur. Cur non Xenophon ipse verbis: »εἰπὼν δὲ ταῦτα καὶ ἄλλα« etc. indicare potuit se non totam orationem verbotenus attulisse?

§ 16. Quibus demonstratis aliud argumentum accedit, quo utique vetamur putare prioris amnestiae mentionem apud Xenophontem omissam esse, quod argumentum Grosser tota dissertatione plane neglexit, consensum dico Xenophontis et Iustini. Nam Iustinus, ut supra (§ 4) vidimus, non secus ac Xenophon ante expeditionem Eleusiniam amnestiae mentionem non facit, post eam diserte narrat amnestiam promulgatam esse. Quaecumque fontium ratio Iustino cum Xenophonte intercedit, hic horum duorum scriptorum consensus nullam dubitationem de mea ratione relinquit. Fac primum Iustinum vel potius Trogum Pompeium hausisse e fonte a Xenophonte omnino diverso, profecto nemo prudens arbitrabitur utrumque, et Xenophontem vel eius epitomatorem et Iustinum vel Trogum Pompeium vel eius fontem, amnestiam priorem, quam maioris momenti fuisse Grosser statuit et statuere debet, omisisse, alteram, quam nemo fere praeter eos dignam habuerit, cuius mentionem faceret, diserte narravisse. Sin fingimus ea, quae Trogus narraverit, e Xenophonte derivata esse, sive ipse Xenophontis hellenica exscripsit sive eius fons e Xenophonte hausit, iterum, si Grosseri

sententiam sequimur, hic consensus explicari non potest, nam Trogum Pompeium notum est Christi aetate historias suas scripsisse, hellenicorum autem epitomen volunt Grosser et ei, quos secutus est, post Christum factam esse, certe hellenica vera Plutarchi fuisse fontem, diu igitur post Trogi tempora exstitisse. Quam ob rem oportet statuere Trogum et multo magis eius fontem ex hellenicis ipsis, non ex epitome hausisse, ex quo efficitur iam in hellenicis ipsis hanc amnestiam narratam non fuisse, aut iterum adducimur ad illam coniecturam, quae sine dubio est improbanda, Trogum vel eius fontem vel fortasse Iustinum, cum Trogi historias excerperet, et grammaticum, qui hellenica corripuisse putatur, utrumque graviorem amnestiam omisisse, minorem solam narravisse. Quibus ex argumentis, credo, satis elucet ne eos quidem, qui hellenica in epitomen coacta esse statuant, ea, quae Grosser ex hac sententia de amnestia statim post pacem compositam decreta et iureiurando sancta concluserit, probare posse. Quod vero Grosser in praefatione p. 4 dicit etiam sententia sua de Xenophontis hellenicis non probata tamen ea, quae de amnestia docuerit, probari posse, firmissime, spero, iam nunc constat nullo modo ea posse probari. Quam ob rem non mirum est eum per totum librum illorum praefationis verborum non meminisse. Certe nemo dicere audebit Xenophontem ipsum tam falso res illo tempore gestas, quibus ipse interfuisset, narravisse, ut eam amnestiam, quae saepissime Grosseri sententia commemoratur, neglegeret, alteram, quam omnes neglegunt, narraret. Qua eadem ratione novum argumentum nobis suppeditatur, quo firmius demonstratur, etiamsi cum Grossero statuere vellemus hellenicorum epitomen nobis traditam esse, tamen nobis non licere duas amnestias decretas statuere, non enim ipse Grosser negabit epitomatorem eas res elegisse narrandas, quae graviores erant aut certe ei videbantur. Putasne vero, vir doctissime, epitomatorem tuum tam stultum fuisse, ut non viderit priorem amnestiam tuam multo graviorem fuisse quam posteriorem?

Consulto in antecedentibus non solum eam respexi rationem, quae Iustino cum Xenophonte interesse recentioribus viris doctis videtur, quia haec quaestio propter Iustini brevitatem et errores multos et magnos difficillima obiter plerumque tractata et ad certum finem nondum perducta est. Quod ad librum quintum attinet, cui

res nobis tractandae insunt, alii cum Heerenio (»commentatio de Trogi Pomp. fontibus et auctoritate« in comm. soc. Gott. vol XV, a. 1804, p. 185 sqq.) Theopompum habent fontem summum, alii, ut Wolffgarten (»De Ephori et Dinonis historiis a Trogo Pomp. expressis«, 1868. p. 57 sqq.) omnia tribuunt Ephoro, alii, ut Fricke (»Untersuchungen über die Quellen des Plutarchos im Nikias und Alkibiades«, 1869) et Natorp (»quos auctores in ult. belli Pel. annis descr. secuti sint Diod. Plut. Corn. Iust., 1876, et »Ueber die Quellen der griechisch Geschichte für die Jahre 404—394«, in »Zeitschrift für die oesterr. Gymnasien« XXVII p. 561—584), qui tamen Iustinum magis, quam aequum erat, neglexit, altera tribuunt Ephoro altera Theopompo. Consentiunt igitur omnes fere in eo Pompeium non e Xenophonte ipso hausisse, quamquam Heeren l. l. p. 216 dicit: »Et quamvis in nonnullis Xenophontem Trogum consuluisse lubens concedam, imprimis tamen eum hic quoque Theopompum ducem elegisse, ita tamen, ut in aliis praeferret Ephorum, certum est.« Mihi quidem eis, quae Xenophon, Iustinus, Diodorus tradunt, comparatis, cum singula, quae pleraque recte exposita apud Wolffgartenium p. 55—60 inveniuntur, ab huius dissertationis proposito aliena sint, in universum haec constant: Trogus Pompeius numquam consuluit Xenophontem ipsum, sed perpauca ea, quae Justino cum Xenophonte communia sunt, inter quae praeter locum nobis tractandum totius libri quinti nullum numeraverim, eius fons e Xenophonte sumpsit. Conveniunt autem omnia fere, quae Iustinus hoc libro narrat, quamquam imprimis de capitibus 5 et 6 difficillimum est certi aliquid statuere, ita cum Diodoro, ut ex eo hausta esse non possint, sed ut utrumque eodem fonte usum esse appareat. Qua de causa redit quaestio nostra ad aliam, quem auctorem Diodorus de his temporibus usus sit, de qua quaestione adhuc sub iudice lis est, nam Volquardsen (»Untersuchungen über Diodor XI—XVI« a. 1868,) unum Ephorum habet rerum Graecarum fontem, alii, ut Fricke et Natorp, modo Theopompum censent adhibitum esse modo Ephorum. Sed, utut haec res sese habet, praeterquam quod ea, quae Diodorus XIV 33 et 34 tradit, omnes ad Ephorum referunt, nostra non multum interest, utrum Ephorum exscripserit Diodorus an Theopompum, nam utrumque constat Xenophontis hellenica adhibuisse, ita tamen, ut non eum exscriberet, sed sui iuris historias

componeret. Itaque loco nobis tractando Ephorus (sive Theopompus) sine dubio Xenophontem secutus est eumque Trogus Pompeius. Qua ratione non infringuntur, quae supra demonstravi. Nam Grosseri coniecturae in hellenicorum epitome amnestiam priorem omissam esse non esse locum ex eis, quae exposuimus, manifestum est. Neque, si statuere audeat Xenophontem ipsum eam omisisse, credi licet Ephorum Xenophontis narrationem non correcturum fuisse.

§ 17. Antequam ad amnestiam veram transeamus tractandam, refutanda est alia Grosseri sententia, quam exponit dissertationis paragrapho septima. Iam supra (§ 2 et 14) vidimus per fraudem Eleusina recuperatam esse. Dissentiunt autem viri docti, quod ad hanc rem attinet, quomodo intellegenda sint Xenophontis verba (§ 43): »τοὺς μὲν στρατηγοὺς αὐτῶν εἰς λόγους ἐλθόντας ἀπέκτειναν.« Cum plerique scriptores nostri aevi sic ea vertant, ut non intellegatur, quosnam »τοὺς στρατηγούς« esse putent, Grote VIII p. 280 aperte dixit et Rauchenstein in »Philologo« tom. X p. 591—607 demonstrare studuit non intellegendos esse trigintaviros ipsos, sed eorum duces, inter quos Rauchenstein concedit aliquem fortasse ex eis ipsis fuisse, trigintaviros ipsos servatos esse. Quam sententiam impugnavit Grosser in ann. ph. et p. tom. IC p. 193—207 et 455 sq., qui recte mihi videtur demonstravisse non esse verisimile trigintaviros, qui antea ipsi exercitum duxissent, tum, cum de ipsorum capite pugnaretur, exercitum aliis ducendum tradidisse, neque Atheniensium multum interesse potuisse duces per dolum et insidias interimi, cum homines civitati novae periculosissimi, trigintaviri ipsi, servarentur. Quodsi concludit propterea oportere duces fuisse viginti et quinque tyrannos, qui Eleusine fuissent, et eos omnes tum interemptos esse, nihilominus haec conclusio probanda non est. Quisnam nobis tradit omnes viginti et quinque duces exercitus fuisse? Immo non verisimile est omnes ad exercitum ducendum idoneos fuisse et multo etiam minus exercitum, qui non magnus sine dubio fuerit, viginti et quinque duces habuisse. Quam ob rem existimandum est trigintaviros quidem verbis »τοὺς στρατηγούς« notari, attamen non omnes, sed complures, qui sine dubio principes eorum erant, hos tum interfectos esse, ceteros autem effugisse.

Non falso hoc modo Iustinus l. l. narrat: »tyranni ..... trucidantur«, quamquam fieri potest, ut non accurate Trogi verbis

intellectis, nisi forte hic ipse iam obscurius narraverat, omnes interfectos esse putaverit. Melius autem secundum meam quam secundum Grosseri sententiam intelleguntur, quae Isocrates VII 67 narrat: »αὐτοὺς τοὺς αἰτιωτάτους τῶν κακῶν ἀνελόντες«, nam superlativo crudelissimos et principes eorum monstrare videtur, cum omnes melius positivo nominentur τῶν κακῶν αἴτιοι, ut Lysias XII 85 dicit »τοὺς μεγίστων κακῶν αἰτίους« et Andocides I 90: »τοῖς τριάκοντα ..... τοῖς μεγίστων κακῶν αἰτίοις«.

Non vero repugnat haec sententia eis, quae Xenophon dicit. Quamquam »τοὺς μὲν στρατηγούς« et »τοῖς δὲ ἄλλοις« discernit, tamen ex his verbis non necessarie concluditur omnibus ceteris persuasum esse, ut in urbem reverterentur. Quoniam semper breviter narrat, etiam hoc loco omittere potuit perpaucos tamen in urbem non redisse aut non receptos esse. Omnino non omnes, qui tyrannorum partis fuerant, redisse ostendit Batrachi exemplum, quod apud Lys. VI 45 traditur. Ne vero mihi obiicias Eleusine ex urbe obsessa neminem effugere potuisse, Athenienses certe neminem invitum in patriam redire coëgerunt, sed libenter effugiendi facultatem dederunt, neque multum eorum interesse potuit etiam ceteros trigintaviros interimi, praesertim cum omni potentia et omnibus opibus privati Atticam fugerent. Mirum autem esset Xenophontem, si revera trigintaviros omnes sublatos esse narrare voluisset, hoc loco uti verbo στρατηγοί.

Quibus de causis, si iam verisimile est non omnes interemptos esse, certo argumento haec sententia firmabitur, postquam etiam magis, quam adhuc factum est, demonstraverimus unam amnestiam decretam esse post hanc expeditionem et ad eam iusiurandum, quod Andocides I 90 exhibet, referendum esse, quo trigintaviri et undecimviri ab amnestiae beneficio nominatim excluduntur, id quod fieri non potuit, si alteri interfecti essent. Videbimus etiam propter Lysiae orationes XXV et XXXIV verisimile esse hos homines amnestiae expertes patriam fugisse.

Praeterea autem propter ea, quae Lysias XII 35 dicit, cum Frohbergero in annotatione ad hunc locum dubitaverim, num omnes viginti et quinque tyranni Eleusine fuerint ita, ut omnes interimi potuerint. Dicit enim Lysias haec: »ὅσοι δὲ ξένοι ἐπιδημοῦσιν, εἴσονται, πότερον ἀδίκως τοὺς τριάκοντα ἐκκηρύττουσιν ἐκ τῶν πόλεων ἢ δικαίως«, quae verba difficillima sunt ad intellegendum, si trigintaviri

omnes tum Eleusine erant, cum haec oratio habita est. Qua difficultate imprimis commotus Rauchenstein in »Phil.« X p. 596 sq. post Eleusina recuperatam eam vult habitam esse, quae sententia a Frohbergero in ann. phil. et p. LXXXII p. 408 sq. refutata et modo ab ipso missa est. Quoniam igitur oratio habita est, antequam Eleusis reciperetur, Grosser, cui omnes viginti et quinque, ne quis mortem effugiat, Eleusine continendi sunt, diss. l. p. 28 et in ann. phil. et p. IC p. 199 putat iam tum, cum Eleusine fuissent, caute et provide nonnullas civitates, priusquam in eas fugerent, portu et refugio eis interdixisse. Quod ullas civitates, antequam eis metuendum esset, ne trigintaviri ad se fugere vellent, providisse nequaquam probabile est. Quam ob rem malim cum Frohbergero credere statim, cum Athenis emigrare cogerentur, nonnullos eorum maiore parte deserta Atticam fugisse. Cui sententiae non licet opponi Xenophontem II 4,24 narrare: »*καὶ οἱ μὲν τριάκοντα Ἐλευσῖνάδε ἀπῆλθον*«, nam iam supra (§ 1) vidimus de hominibus triginta numero certe cogitandum non esse. *Οἱ τριάκοντα* hoc loco plures quam viginti et quinque esse non possunt, sed de numero nihil ex his verbis colligi potest, etiam de duobus Lysias X 31 hoc nomine utitur.

§ 18. Deinde, ut supra demonstravimus, amnestia decreta est, quam Grosser habet alteram, et quam eo priore generaliorem fuisse coniicit, quod nemo ab ea exclusus sit. Sed si Xenophon et Iustinus, qui uterque has res brevissime narrant, homines ab ea exclusos non commemorant, hinc non efficitur exclusum esse neminem, nam haec res tam parvi momenti erat, ut Xenophon, etiamsi latius res eo tempore gestas descripsisset, eam omittere potuerit, ut § 6 pag. 17 demonstravimus. Itaque falso Grosser p. 21 dicit quemquam exclusum esse hoc Xenophontis loco negari. Neque vero magis eius sententia ceteris locis probatur, quos ibidem affert. Quod Iustinus l. l. dicit: »ita per multa membra civitas dissipata in unum tandem corpus redigitur«, Demosthenes XX 11: »*ἡ πόλις εἰς ἓν ἦλθε*«, Plato Menex. 14: »*παντελοῦς εἰρήνης ἡμῖν γενομένης*«, Isocrates VII 67: »*οὕτω τὰ πρὸς τοὺς ἄλλους καλῶς καὶ νομίμως διῴκησαν, ὥστε μηδὲν ἔλαττον ἔχειν τοὺς ἐκβαλόντας τῶν κατελθόντων*«, his locis elucet, quod iam dudum nobis notum est, diversas factiones in unam civitatem redisse et deinde pacem fuisse. Atque hoc certe dici

potuit etiam viginti vel triginta hominibus civitati infestis in exsilium missis, nam hac re mehercle Atheniensium civitas in complures partes divisa non erat. Qui singula verba tam anxie vult urgere, negare debet Atheniensium civitatem umquam unam fuisse, umquam plena pace usam esse, nam nonnulli cives semper in exsilio degebant, et interdum non ita pauci, ut docemur eis decretis quattuor, quibus exsulibus et infamia notatis iura civilia reddita sunt, de quibus conferas P. van Lelyveld »de infamia iure Attico«, a. 1835, p. 278 sq. Praeterea autem, ut antea dixi fortasse Iustini opinionem fuisse omnes trigintaviros interfectos esse, fieri potest, ut re vera verbis laudatis narrare voluerit neminem ab amnestiae beneficio exclusum esse. Non vero Grossero p. 23 licet ex hoc Iustini errore, cuius scilicet convinci non potest, colligere eum iuramenta apud Andocidem servata referre non potuisse ad amnestiam, quam ipse unam narret. Qui existimat Iustinum vel Trogum Pompeium eadem diligentia ac nos in omnes fontes, quicumque inveniri poterant, inquisivisse, male novit non tantum Iustini, sed omnium scriptorum antiquorum scribendi rationem. Pro certo fere dicere possumus Pompeium vel Iustinum numquam hanc Andocidis orationem inspexisse atque verisimillimum est eum de his iuramentis, quae num apud ullum alium scriptorem tradita fuerint, dubitari licet, nihil scivisse.

§ 19. Postquam sic demonstravimus non esse, cur nobis persuadeatur ab amnestia post expeditionem Eleusiniam decreta neminem exclusum esse, iurisiurandi apud Andocidem traditi verba, quae supra (§ 6) attuli, diserte demonstrant complures exclusos esse. Iam quia satis refutata sunt, quae Grosser et alii de duabus amnestiis docent, et demonstratum hanc postex peditionem Eleusiniam decretam unam fuisse, oportet nos haec iuramenta ad amnestiam pertinentia ad hanc unam referre. Apparebit autem, etiamsi duae amnestiae statuendae essent, tamen ad posteriorem ea referenda esse, vel, sicut res nunc sese habet, haec iuramenta novo argumento ea firmant, quae de amnestia una docemus. Andocides enim I 90, ubi iuramenta affert, dicit: *»Φέρε δὴ τοίνυν, οἱ ὅρκοι ὑμῖν πῶς ἔχουσιν; ὁ μὲν κοινὸς τῇ πόλει ἁπάσῃ, ὃν ὀμωμόκατε πάντες μετὰ τὰς διαλλαγάς«*, quibus verbis ostendit etiam tum, cum hanc orationem habuit, cives eo iureiurando obstrictos fuisse, quod deinde affert. Constat autem hanc orationem diu post rempublicam restitutam,

anno 399, habitam esse. Quo tandem modo tum hoc iusiurandum valere potuit, si prior amnestia eo sancta erat? Nam si illa amnestia altera decreta aucta et mutata esset, oportebat posterioris iusiurandum tum valere, alterum autem falsum erat, quoniam Grosseri sententia trigintaviri interfecti et undecimviri decemvirique Piraeenses, quos addi vult, tum amnestiae exempti non erant. Esset autem id quoque falsum omnes cives, apud quos Andocides causam dicit, hoc iureiurando obstrictos esse, nam prior amnestia sanciri non potuit, nisi ab eis, qui in urbe manserant, et, qui e Piraeeo in urbem redierant, anno autem 399 ei quoque omnes in urbe aderant, qui cum trigintaviris Eleusine aut iam fuerant aut pacis condicionibus compositis ad eos se contulerant.

Quibus de causis cum hoc iusiurandum non ad aliam amnestiam quam nostram unam referri possit, hac causa coacti non sumus cum Grossero multisque aliis eam lectionem, quam codices praebent, mutare. Exstat enim: »*καὶ οὐ μνησικακήσω τῶν πολιτῶν οὐδενὶ πλὴν τῶν τριάκοντα καὶ τῶν ἕνδεκα*«. Quoniam autem Xenophon l. l. a pace exclusos praeter hos etiam decemviros Piraeenses affert, Valesius, quem Schneider et Turicenses secuti sunt, addidit verba »*καὶ τῶν δέκα*«, qui accuratius, ne cum decemviris urbanis commiscerentur, nominandi erant »*τῶν ἐν Πειραιεῖ δέκα*« vel »*τῶν ἐν Πειραιεῖ ἀρξάντων δέκα*«, quae verba necessarie etiam Grossero, quia hoc iusiurandum ad priorem amnestiam suam refert, inserenda sunt. Qua mutatione carere possunt ei, qui sciunt falso haec verba ad Xenophontis locum laudatum referri, et, ut supra (§ 6) exposuimus, decemviris Piraeensibus amnestia decreta venia data esse potest. Attamen concedendum est non valde verisimile esse Athenienses his veniam dedisse, ceteris, quos a pace excluserant, non dedisse, neque ita difficulter haec verba excidere potuerunt. Accedit autem aliud, quod etiam magis nobis quoque suadeat, ut illam coniecturam accipiamus. Meier »de bonis damnatorum«, a. 1819, p. 188 hunc affert locum e lexico rhetorico p. 235, 31 petitum: »*Δέκα τίνες εἰσί; δέκα ἦσάν τινες ἐν Πειραιεῖ οἱ ἄρξαντες κατὰ τὴν τυραννίδα τῶν τριάκοντα. ἀλλὰ καὶ προσέταξαν αὐτοῖς εὐθύνας τῆς ἀρχῆς δοῦναι*«, quae verba non bene intelleguntur, nisi statuimus eodem modo atque trigintaviros superstites et undecim etiam hos ab amnestiae beneficio exclusos esse, sed ratione reddita exsilio liberari eis licuisse.

Eadem autem, quae de hoc iureiurando diximus, dicenda sunt de ceteris duobus. Senatus iusiurandum, ut e forma »ὄμνυσι« colligi potest, saepius repetebatur et eo magis, si rebus veris obloquebatur, aut tollendum aut mutandum erat. Verbis autem »πλὴν τῶν φυγόντων« neminem significari nisi trigintaviros et undecimviros (et decemviros Piraeenses), ex eo colligi potest, quod populi iureiurando alii ab amnestiae beneficio non excluduntur.

Quibus si constat haec iuramenta nisi ad amnestiam post expeditionem Eleusiniam decretam referri non posse, simul apparet recte me supra (§ 17) de trigintaviris coniecisse, nam si in populi iureiurando nominatim afferuntur et senatus verbis »πλὴν τῶν φυγόντων« continentur, certe oportet nonnullos eorum superstites fuisse.

§ 20. His de scriptoribus, qui in nostra quaestione maximi momenti sunt, expositis restant loci complures, quibus breviter hae res narrantur, quos omnes ex sua sententia Grosser interpretatus est, quorum tamen videbimus nullum pro eius sententia facere, plures aperte ei obloqui. Inter omnes autem, facere non possum, quin iterum moneam, ne Grosseri quidem sagacitas unum invenit, qui bis amnestiam promulgatam esse indicare videatur, neque ullus est, quo constet statim post exsulum reditum Athenienses omnes iniurias oblivione delendas esse constituisse, contra complures sunt, qui luce clarius ostendant aliquantum temporis inter pacem factam et amnestiam decretam intermissum esse, duo, quibus ea, quae e Xenophonte et Iustino collegimus, bene firmentur, qui loci primi nobis erunt recensendi, sunt autem Isocrates VII 67 et Plato Menex. 14.

Quorum Isocrates l. l. dicit haece: »οἱ δὲ (sc. exsules) κρατήσαντες καὶ μεθ' ὅπλων κατιόντες (exspectandum est κατελθόντες), αὐτοὺς τοὺς αἰτιωτάτους τῶν κακῶν ἀνελόντες, οὕτω τὰ πρὸς τοὺς ἄλλους καλῶς καὶ νομίμως διῴκησαν, ὥστε μηδὲν ἔλαττον ἔχειν τοὺς ἐκβαλόντας τῶν κατελθόντων«. Expresse hoc loco tria illa facta secernuntur, quae secernenda esse supra demonstravimus, reditus exsulum, bellum Eleusinium, amnestia. Etiam hoc loco videmus bellum Eleusinium finitum vel potius Eleusiniorum duces interemptos esse, priusquam amnestia decreta respublica bene denuo institueretur. Optime igitur hic locus sententiam meam comprobat, cum Grossero ipsi p. 35 concedendum sit cum sua sententia eum nisi »ganz allgemein aufgefasst« non congruere.

Neque minus ea, quae docui, affirmantur Platonis vel Pseudo-Platonis loco laudato, quo haec leguntur: *»Ἔκ τε γὰρ τοῦ Πειραιῶς καὶ τοῦ ἄστεος ὡς ἀσμένως καὶ οἰκείως ἀλλήλοις ξυνέμιξαν οἱ πολῖται καὶ παρ' ἐλπίδα τοῖς ἄλλοις Ἕλλησι, τόν τε πρὸς τοὺς Ἐλευσῖνι πόλεμον ὡς μετρίως ἔθεντο. καὶ τούτων ἁπάντων οὐδὲν ἄλλο αἴτιον ἢ ἡ τῷ ὄντι ξυγγένεια, φιλίαν βέβαιον καὶ ὁμόφυλον οὐ λόγῳ, ἀλλ' ἔργῳ παρεχομένη. χρὴ δὲ καὶ τῶν ἐν τούτῳ τῷ πολέμῳ τελευτησάντων ὑπ' ἀλλήλων μνείαν ἔχειν καὶ διαλλάττειν αὐτοὺς ᾧ δυνάμεθα, εὐχαῖς καὶ θυσίαις, ἐν τοῖς τοιοῖσδε, τοῖς κρατοῦσιν αὐτῶν εὐχομένους, ἐπειδὴ καὶ ἡμεῖς διηλλάγμεθα. οὐ γὰρ κακίᾳ ἀλλήλων ἥψαντο οὐδ' ἔχθρᾳ, ἀλλὰ δυστυχίᾳ. μάρτυρες δὲ ἡμεῖς αὐτοί ἐσμεν τούτων οἱ ζῶντες· οἱ αὐτοὶ γὰρ ὄντες ἐκείνοις γένει ξυγγνώμην ἀλλήλοις ἔχομεν ὧν τ' ἐποιήσαμεν ὧν τ' ἐπάθομεν. μετὰ δὲ τοῦτο παντελοῦς εἰρήνης ἡμῖν γενομένης ἡσυχίαν ἦγεν ἡ πόλις.«* Etiam in his tria illa facta gravissima secernuntur, verbo *»ξυνέμιξαν«* indicatur pax et reditus pace facta impetratus, deinde breviter commemoratur bellum Eleusinium, quod arcte cum reditu coniungitur, deinde manifestum est verbis sequentibus, quae de amnestia intellegenda esse nemo erit, qui neget, rem significari post reditum et bellum Eleusinium factam, itaque nisi de amnestia tum decreta intellegi non possunt, id quod etiam Grosser concedit, quia *»παντελῆ εἰρήνην«*, de quibus verbis supra (§ 18) disserui, quae his rebus effecta esse dicitur, amnestia sua altera effectam esse p. 21 docet. Quodsi hoc concedit, etiam hoc loco amnestia, quam sibi videtur invenisse priorem, plane neglegitur, nam in verbo *ξυνέμιξαν* amnestiae vestigium nemo sine dubio inveniet.

Habemus igitur praeter ea, quae Xenophon et Iustinus narrant, duos locos, quibus bellum Eleusinium commemoratur, et utroque eorum prorsus eodem modo atque apud duos illos scriptores amnestia post illud bellum decreta esse pluribus verbis narratur, alterius cum pace et cum exsulum reditu coniunctae mentio omnino nulla fit, et illius quidem amnestiae, quam Grosser dicit altera tanto graviorem fuisse, ut omnibus ceteris locis sola respiciatur!

§ 21. His quattuor locis, quia expeditio Eleusinia antea narratur, amnestiam post eam decretam intellegendam esse ipse negare non potest, ceteris autem locis, quibus haec expeditio neglegitur, oportere putat amnestiam intellegi eodem die, quo exsules urbem intraverint, decretam. Sed tantum abest, ut haec sententia locis

ipsis affirmetur, ut complures apertissime eam refellant, omnes aliter intellegi possint, qui nunc nobis restant recensendi.

In pag. 35 Grosser laudat locum ex oratione funebri, quae secundum Blassium l. l. I 429—439 falso Lysiae ascribitur, petitum hunc (Lys. II 64): »*οἱ δὲ κατελθόντες αὐτῶν, ἀδελφὰ τὰ βουλεύματα τοῖς ἔργοις τῶν ἐνθάδε κειμένων ἐπιδεικνύντες, οὐκ ἐπὶ τιμωρίαν τῶν ἐχθρῶν ἀλλ' ἐπὶ σωτηρίαν τῆς πόλεως ἐτράποντο*« etc., et addit amnestiam hic cum reditu coniungi. Sed quanam re coniungitur? an ea, quod ei, qui clementia utuntur, vocantur *οἱ κατελθόντες*, i. e. ei, qui ex exsilio redierant, qui exsules fuerant? Saepius hoc unum aoristi participium virum doctum in errores partim maximos, e quibus unus infra (§ 29) urgendus erit, induxit. Nihil ex hac voce colligi potest nisi, postquam exsules redierint, amnestiam promulgatam esse. Utrum paucae horae, ut ipse vult, an unus aut fortasse duo menses, ut re vera factum est, intercesserint, neque ex hoc loco colligi potest neque, nisi forte aliud argumentum accedit, ex alio, quo Athenienses *κατελθόντες* amnestiam decrevisse dicuntur. Cur autem hoc loco orator narret, postquam redissent, Athenienses oblivione iniurias delevisse, non, postquam Eleusina recepissent, quod idem cadit in omnes locos similes, non difficile est inventu. Expeditio Eleusinia rarissime commemoratur neque per se ipsa magni momenti fuerat, reditus autem erat factum celeberrimum et civitatis denuo instituendae initium per permultos annos omnibus notissimum. Quoniam autem neque hoc neque ceteris locis similibus oratoris vel scriptoris interest accurate amnestiae tempus definire, post reditum eam dicunt decretam esse bellum Eleusinium turpissimum neglegentes. At si quis de tempore ex hoc loco coniecturam facere velit, e verbis, quae antecedunt: »*καὶ γάρ τοι μεγάλην μὲν ἀντὶ μικρᾶς ἀπέδειξαν τὴν πόλιν, ὁμονοοῦσαν δὲ ἀντὶ στασιαζούσης ἀπέφηναν*« etc. potius concludat de rebus diutius post reditum perfectis etiam nostro loco oratorem loqui.

Eadem autem dicenda sunt de Lys. XIV 34: »*τὸ δ' ὑμέτερον πλῆθος κατελθὸν . . . ἠλευθέρωσεν*«, et deinde de Aeschinis locis duobus, quos Grosser p. 37 tractat: II 176: »*Πάλιν δὲ σωφρόνως πολιτευθέντες, καὶ τοῦ δήμου κατελθόντος ἀπὸ Φυλῆς, Ἀρχίνου καὶ Θρασυβούλου προστάντων τοῦ δήμου καὶ τὸ μὴ μνησικακεῖν πρὸς ἀλλήλους ἔνορκον ἡμῖν καταστησάντων, ὅθεν σοφωτάτην πάντες τὴν*

πόλιν ἡγήσαντο εἶναι« et III 208: »εἰ σοὶ ἦσαν ὅμοιοι οἱ ἀπὸ Φυλῆς φεύγοντα τὸν δῆμον καταγαγόντες, οὐκ ἄν ποθ' ἡ δημοκρατία κατέστη. νῦν δὲ ἐκεῖνοι μὲν μεγάλων κακῶν συμβάντων ἔσωσαν τὴν πόλιν τὸ κάλλιστον ἐκ παιδείας ῥῆμα φθεγξάμενοι, μὴ μνησικακεῖν«. Utrumque locum dicit haud dubie testari amnestiam primam condicionem pacis inter exsules et urbanos reconciliandae fuisse et statim post reditum Thrasybulo et Archino auctoribus iureiurando sanctam esse. Sed etiam haec est vana opinio. Pacis eiusque condicionum orator omnino non facit mentionem, de temporibus autem mea quidem sententia nihil ex his locis colligi potest, nam non est, quod non cogitemus de amnestia non statim post exsulum reditum decreta. Est autem eis, qui secum reputant Grosserum omnibus locis, quibus participium κατελθόντες legatur, amnestiam docere cum reditu coniungi, paene mirandum eum ex his duobus locis non collegisse amnestiam tertiam decretam esse, simulatque exsules Phyle ex arce in Piraeeum descendissent, i.e. sex septemve mensibus, antequam pax reconciliaretur. Quod quoniam non collegit, ipse affirmat recte me ea refutavisse, quae de ceteris huiusmodi locis disputat. Nullo autem iure his locis adduntur ea, quae Demosthenes XX 11 et 12 dicit, quae verba non operae pretium est afferre, nam verbis »τῆς ὁμονοίας σημεῖον« et »μὴ λῦσαι τῶν ὡμολογημένων μηδέν«, praeterquam quod de sola pace intellegi possunt, eo minus Grosser niti potest, quia verba: »ἡ πόλις εἰς ἓν ἦλθε« p. 21 (cf. meae dissertationis § 18) ipse docuit de amnestia post expeditionem Eleusiniam decreta intellegenda esse, quam ob rem etiam cetera postea facta esse statuendum ei est.

In eis, quae Dionysius »de Lysia« c. 32 de Lysiae orationis 34 argumento dicit, de quibus accuratius infra (§ 27) disserendum erit: »τοῦ δήμου κατελθόντος ἐκ Πειραιῶς καὶ ψηφισαμένου διαλύσασθαι πρὸς τοὺς ἐν ἄστει καὶ μηδενὸς τῶν γεγενημένων μνησικακεῖν«, secernuntur reditus et amnestia ita, ut non multum temporis intermissum esse videatur, id quod etiam ob alias causas verisimile esse neque ulla refelli supra demonstravimus, sed nihil fere intermissum esse non est, cur ex eis colligatur. Bene autem his verbis comprobantur ea, quae supra (§ 7) conieci, quomodo amnestia decreta sit, nam e verbis: »ψηφισαμένου διαλύσασθαι ... καὶ μηδενὸς ... μνησικακεῖν« elucet pactionem fuisse amnestiam inter exsules et urbanos. Ne

vero haec verba de pace Pausania auctore facta intellegantur, obstant verba, quae antecedunt, quibus apertum est hanc pactionem factam esse post populi reditum. Recte autem et hoc loco et aliis, ut Lys. XIII 88 sq., haec pactio inter exsules et urbanos facta esse dicitur, Eleusiniis non nominatis. Nam per plurimum tempus hae duae civitatis fuerant factiones, postea urbani in duas partes secesserant, quarum altera Athenis remanserat, altera Eleusina se contulerat. Qua urbe recepta ei, qui ibi fuerant, Athenas reversi iterum urbanis annumerandi erant, et hanc ob rem fit, ut diu post oratores de duabus factionibus, exsulibus et urbanis, loquantur, non de tribus. Neque oportuit Eleusinios a ceteris urbanis seiungi, quia eas iniurias, quae oblivioni dandae erant, et ipsi ut urbani commiserant.

Cum hoc Dionysii loco Grosser p. 35 ea comparat, quae scholiastes ad Aristophanis Pluti versus 1146 verba: »*μὴ μνησικακήσῃς, εἰ σὺ Φυλὴν κατέλαβες*« annotat: »*ὅτι μετὰ τὸ κατελθεῖν τοὺς μετὰ Θρασυβούλου Φυλὴν καταλαβόντας καὶ νικήσαντας ἐ Πειραιεῖ τοὺς τριάκοντα ψηφίσασθαι· ἔδοξε μὴ μνησικακῆσαι ἀλλήλοις καθάπαξ τοὺς πολίτας*«. Etiam haec verba ei demonstrare videntur statim post reditum, »gleich nach der Rückkehr«, amnestiam decretam esse. Sed etiam hoc loco manifestum est vocis »gleich« sententiam eum e suis addidisse, non magis verbis »*μετὰ τὸ κατελθεῖν*« quam participio »*κατελθόντες*« nullum tempus intermissum esse demonstratur. At ego crediderim in hac re quaesitiore scholiastae omnino non multum auctoritatis tribuendum esse, sed, quoniam Grosser omnibus fontibus eandem auctoritatem tribuere videtur, neglegere nolo alius scholiastae ad eundem locum annotationem, quam ipse prudenter omisit, qua eius sententia haud dubie prorsus refutatur. Dicit enim ille inter alia haec: »*ἀλλὰ Θρασύβουλός τις Ἀθηναῖος φιλόπατρις καὶ μισοτύραννος Φυλὴν κατέλαβε, χωρίον τῆς Ἀττικῆς, μετὰ ὀκτακοσίων ἀνδρῶν καὶ συμβαλὼν τοῖς τριάκοντα καὶ τοῖς μετ' αὐτῶν νικᾷ τε αὐτοὺς καὶ τὴν πόλιν τῆς τυραννίδος ἠλευθέρωσεν. ἐπεὶ δὲ ἦσάν τινες ἐν τῇ πόλει, πρὸς οὓς ἐφέροντο καλῶς οἱ τύραννοι, ὅτε ἦρχον, οὗτοι τοὺς ἀναιρέτας τῶν τυράννων δεδιότες, ἡνίκα τινὶ αὐτῶν συναντήσειαν, ἔλεγον · μὴ μνησικακήσῃς, εἰ σὺ Φυλὴν κατέλαβες· ὅθεν καὶ ψήφισμα ἔθεντο ἀλλήλους μὴ μνησικακεῖν Εὐκλείδου δημαγωγήσαντος*«. Nonne apertissime his verbis ostendit scholiastes nonnullo tempore post reditum intermisso amnestiam decretam esse,

quamquam de hac historiola nemo alius quidquam tradit, atque, num vera sit, dubitandum fortasse est?

§ 22. Breviter iterum disserendum nobis est de eis scriptoribus, de quibus in capite primo pluribus verbis egimus, quos hoc adhuc neglegimus, Nepotem dico et Diodorum, quos Grosser eadem ratione, qua ceteros, in suum usum interpretatur. Etiam Nepos loco supra allato unam amnestiam commemorat, quam Grosser vult esse priorem suam, quod tamen nullis argumentis probare potest, neque enim statim post reditum haec decreta esse narratur. Recte ipse concedit pacem a Pausania reconciliatam et amnestiam Thrasybulo auctore decretam inter se oppositas esse. Sed si amnestia pacis erat condicio, ut ipse docet, et arctissime cum pace facta coniuncta erat, non Nepoti licebat hoc modo has duas res secernere et opponere. Sin meam sententiam sequimur, facile intellegitur, cur amnestia ut res plane nova neque cum pace coniuncta commemoretur. Quomodo Eleusis recuperata sit, narratum non est, sed eo non efficitur ante amnestiam decretam eam non esse recuperatam. Conferas ea, quae supra (§ 5) de hac re disseruimus.

Addantur ad haec ea, quae dicit Valerius Maximus IV 1,4, quae cum his cognata esse videntur: »Thrasybulus... populum Atheniensem.... in patriam reduxit. Insignem deinde restitutione libertatis victoriam clariorem aliquanto moderationis laude fecit. Plebis enim scitum interposuit, ne qua praeteritarum rerum mentio fieret. Haec oblivio, quam Athenienses ἀμνηστίαν vocant, concussum et labentem civitatis statum in pristinum habitum revocavit«. Quae verba libenter concedo non refutare Grosseri opinionem, neque vero eam solam veram esse ostendunt, neque enim ex eis apparet Thrasybulum, simulatque populum in patriam reduxisset, amnestiam promulgandam curavisse. Bene aliquantum temporis interiectum esse potest, quod fortasse Valerius ipse particula »deinde« indicare voluit.

Diodorum denique loco supra (§ 3) allato Grosser p. 38 dicit, quia bellum Eleusinium non narret, amnestiam repetitam omittere, sed de amnestia omnino nihil dicit. Verbis allatis narrat, quomodo pax inter exsules et urbanos facta sit, sed cum hac pace amnestiam coniunctam fuisse non intellego, unde collegerit vir doctissimus. Narrat Diodorus, ut supra (§ 3) demonstravimus, pacem Pausania auctore compositam, expeditionem autem Eleusiniam et amnestiam

prorsus neglegit. Quod autem Grosser annotat Diodorum ipsum sibi pacem et amnestiam idem fere valere sub finem capitis sequentis ostendere, ubi dicat: »*οἱ Κυρηναῖοι πρὸς ἀλλήλους διαπρεσβευσάμενοι διηλλάγησαν καὶ παραχρῆμα ὁρκωμοτήσαντες μὴ μνησικακήσειν κοινῇ τὴν πόλιν κατῴκησαν*«, (de quibus verbis conferantur ea, quae suprà (§ 3) exposui) hic locus, si omnino ullo iure in disputationem trahi potest, potius plane contrarium ostendit. Si pax et amnestia idem esse Diodoro viderentur, ad »*διηλλάγησαν*« non addidisset: »*καὶ παραχρῆμα ὁρκωμοτήσαντες μὴ μνησικακήσειν*«, sed eam ob rem, quia idem ei non erant, addidit et consulto »*παραχρῆμα*« inseruit.

§ 23. Hoc celeberrimum amnestiae Atheniensium exemplum posteriores non solum summis laudibus extulerunt, sed etiam saepius imitati sunt, quarum imitationum omnium celeberrima facta est ea amnestia, quae duobus diebus post Caesaris mortem Cicerone auctore Romae decreta est, quam complures scriptores tradunt, quorum duo nobis sunt respiciendi, quia exponunt Atheniensium exemplum, quod Cicero imitatus est. Dicit autem Cicero ipse Phil. I. 1,1 de hac amnestia haec: »quantum in me fuit, ieci fundamenta pacis Atheniensiumque renovavi vetus exemplum; Graecum etiam verbum usurpavi, quo tum in sedandis discordiis usa erat civitas illa, atque omnem memoriam discordiarum oblivione sempiterna delendam censui«. E quo loco nostra in quaestione nihil certi erui potest. Profecto Cicero pacem et amnestiam arcte coniungit vel potius amnestiam vocat pacem, sed quisnam ex hac re colligere volet apud Athenienses pacem a Thrasybulo reconciliatam et amnestiam aeque arcte coniunctas fuisse? Duobus aliis locis, Vell. Paterc. II 58,4 et Plut. Cic. 42, praeter nomen de Atheniensium amnestia nihil exhibetur. Eo plura autem exhibet Cassius Dio XLIV 26: »*ἐκεῖνοι* (Athenienses).... *στασιάσαντές ποτε καὶ ἐκ τούτου καὶ ἐκ τῶν Λακεδαιμονίων καταπολεμηθέντες καὶ ὑπὸ τῶν δυνατωτέρων πολιτῶν τυραννηθέντες οὐ πρότερον ἀπηλλάγησαν τῶν κακῶν, πρὶν συνθέσθαι καὶ διομολογήσασθαι τῶν τε συμβεβηκότων σφίσι πολλῶν που καὶ δεινῶν ὄντων ἐπιλήσεσθαι καὶ μηδὲν τοπαράπαν ὑπὲρ αὐτῶν μήτε ἐγκαλέσειν ποτὲ μήτε μνησικακήσειν τινί. τοίγαρτοι σωφρονήσαντες οὕτως οὐχ ὅτι τυραννούμενοι καὶ στασιάζοντες ἐπαύσαντο, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις πᾶσιν εὐθύνησαν· καὶ τὴν πόλιν ἀνεκτήσαντο... καίτοι εἰ ἐτεθελήκεσαν ἐκεῖνοι οἱ τὴν Φυλὴν καταλαβόντες καὶ ἐκ τοῦ Πειραιῶς κατελθόντες τιμωρήσασθαι τοὺς ἐκ τοῦ ἄστεος ὑπὲρ*

ὧν ἠδίκηντο« etc. E quibus Grosser primum concludit amnestiam pactionem fuisse, quod magis facere pro mea quam pro eius sententia ex eis, quae supra (§ 7 et saepius) docui, manifestum est, alterum hac amnestia decreta civitatem tyrannorum dominatione et discidio liberatam esse, id quod de amnestia non statim post exsulum reditum decreta non minus dici potuit quam de Grosseri priore. Quia hic locus haustus esse videtur ex oratione, qua Cicero civibus suis amnestiam commendavit, facile est cognitu, cur amnestiae id tribuatur, quod magnam partem antea iam erat factum. Apertum est Ciceronem Atheniensium res ad suas accommodare. Quoniam id agit, ut ostendat Atheniensium civitatem factionibus agitatam amnestia decreta felicem et potentem factam esse, plane neglegit bellum exsulum contra patriam gestum, pacem inter populares et urbanos compositam, populi reditum, expeditionem Eleusiniam, et hoc unum praedicat amnestia eos malis liberatos esse. Quod si eius erat consilium, non est, cur negemus eum omnibus ceteris rebus neglectis eam amnestiam, quam unam esse iam constat, his verbis monstrare. Hoc consilio etiam dicere potuit hac amnestia Athenienses a tyrannis et discordiis liberatos esse et patriam recuperavisse. Quodsi verba singula urgere vult, etiam Grossero magnae difficultates se praebent, neque enim ipse demonstraturus est amnestia, quam finxit priorem, Athenienses patriam recuperavisse et a tyrannis liberatos esse, quorum alterum pace factum erat, alterum multo antea. Deinde demum, cum singulas factiones appellari oporteat, Cicero loquitur de eis, qui e Piraeeo reverterint, et de urbanis, sed non, ut res narret ante amnestiam factas. Grosser autem tertium ex his verbis colligit Phylen captam et exsulum reditum cum amnestia coniungi, quod neque recte dicitur, neque de amnestiae tempore quidquam inde cognoscitur. Nam expeditio Eleusinia non solum omitti potuit, quia, ut ipse Grosser addit non sentiens se contra suam ipsius opinionem argumentum proferre, »nebensächlich« erat, sed potius omittenda erat, quia in duarum factionum nominibus eius mentioni non erat locus.

§ 24. Postquam sic demonstratum est ea, quae de duabus amnestiis doceantur, nullis argumentis, quotcumque adhuc cognovimus, cum pauca restent in proximo capite tractanda ex orationibus compluribus petita, affirmari, neque ullum duplicis amnestiae signum

exstare, neque demonstrari posse simul cum pace vel statim post eam amnestiam promulgatam esse, si quaerimus, quibus causis commoti viri docti hanc sententiam protulerint, apud Mitfordium, Thirlwallium, Plassium, Groteum frustra quaerimus, quia omnino sententiam suam argumentis non firmant, sed exspectandum erat Grosserum causas exponere, attamen hic quoque paene nos deserit. Nam ne unum quidem locum habet, quo nitatur, sed a sua opinione exit. Numquam, ut pag. 1 et 7 exponit, sibi persuadere potuit Athenienses eas res, quae omnes ante exsulum reditum factae essent, oblivione delere nonnullo tempore post reditum decrevisse. Et propter hanc opinionem ei placet omnes locos, quibus amnestiae mentio fit, ex sua ratione interpretari, quam rationem falsissimam esse omnes viri docti, spero, hoc capite demonstratum habebunt.

Sed nonne fortasse Grosseri sententia Athenienses non ausos esse amnestia non decreta in unam civitatem sese denuo coniungere, quam etiam illos Anglicanos in hunc errorem induxisse verisimile est, aliquam habet verisimilitudinem? Certe optime fieri potuit, ut duae factiones, cum pacem componerent, omnes iniurias antea commissas oblivione delere statuerent, et si scriptorum antiquorum testimoniis hoc traderetur, neque mihi neque ulli homini prudenti de hac re dubitare in mentem veniret. Quoniam vero multa sunt testimonia, quae aperte ostendant hoc non esse factum, ne unum quidem, quod ea sententia explicandum sit, nostrum est quaerere, quomodo factum sit, ut cum pace amnestia non coniungeretur. Cuius rei causas iam supra (§ 6) pluribus verbis exposui. Praeterquam autem quod regis externi non magnopere interesse potuit civitati bene instituendae diserte consulere, et quod omnibus urbanis, qui sibi metuerent, amnestiae loco Eleusina se conferre licebat, non est neglegendum hanc primam fortasse fuisse huius modi amnestiam. Saepissime enim legimus hanc aut illam civitatem Graecam factionibus et tumultu agitatam esse, numquam vero amnestia promulgata pacem inter factiones reconciliatam esse. Neque haec Atheniensium amnestia tantum gloriae adipisci potuit, nisi singulare quid et inusitatum fuisset.

Caput tertium.

§ 25. Xenophon, postquam res, quas iam accuratius novimus, narravit, adiungit verba: »ἔτι καὶ νῦν ὁμοῦ τε πολιτεύονται καὶ τοῖς ὅρκοις ἐμμένει ὁ δῆμος«, de quibus saepe iam est disputatum et, quae quatenus vera sint, etiam nobis nunc est quaerendum. Dubitatur autem, quando scripta sint. Apparet ea scripta esse, quo tempore post amnestiam longius spatium interiectum erat, quo tamen fieri potuit, ut contra amnestiam homines in ius vocarentur. Sed num recte ex his causis Breitenbach et alii collegerint ea scripta esse non posse post annum 387, ego quidem dubitaverim. Certe nihil obstat, quominus cum Nitscheo (»über die Abfassung von Xenophons Hellenika«, a. 1871, p. 38 sqq.) ad annum 384 descendamus, praesertim cum sciamus etiam anno 382 contra amnestiam Euandrum accusatum esse, de qua causa infra (§ 32) disserendum erit. Fere autem eadem ac Xenophon hoc loco tradit Isocrates XVIII 46: »ἐπειδὴ δὲ τὰς πίστεις ἀλλήλοις ἔδομεν εἰς ταὐτὸν συνελθόντες, οὕτω καλῶς καὶ κοινῶς πολιτευόμεθα, ὥσπερ οὐδεμιᾶς ἡμῖν συμφορᾶς γεγενημένης. καὶ τότε μὲν ἀμαθεστάτους καὶ δυστυχεστάτους πάντες ἡμᾶς ἐνόμιζον· νῦν δὲ εὐδαιμονέστατοι καὶ σωφρονέστατοι τῶν Ἑλλήνων δοκοῦμεν εἶναι«, quamquam non tantum his verbis tribuendum est, quia paucis annis post amnestiam decretam hanc orationem habitam esse infra (§ 29) videbimus, et Isocrates orator rem veram fortasse exaggerat.

Quodsi quaeritur, num Xenophon recte tradiderit, multae sunt res, quibus apparet Athenienses operam dedisse, ut civitas bene restitueretur et novae discordiae arcerentur, quae a Scheibeo pagg. 138 sqq. aliisque accurate expositae a nobis omitti possunt. Eas solas,

quibus maxime apparet cives religiose pacem et amnestiam servavisse, et eas, quibus eam laesisse videri possunt, breviter afferam.

Quo concordiae studio populares reversi ducti sint, imprimis ex eo apparet, quod centum talenta, quae decemviri urbani ad eos ipsos opprimendos ab Lacedaemoniis mutuati erant, totus populus reconciliatus suum habuit aes alienum et solvit, ut narrant Isocrates VII 68 et Demosthenes XX 11 et 12. Magna negotia exstiterunt e rebus familiaribus restituendis, quia propter amnestiam ei, qui anarchiae tempore bona occupaverant, eis privari non poterant (cf. Meier »de bonis damn.« p. 231), attamen populares id studebant, ut sua quisque recuperarent. Quam ob rem magistratus creati sunt, *σύνδικοι* et *συλλογεῖς*, qui haec administrarent, atque exsules, etiamsi eadem bona, quae antea eis fuerant, recipere non poterant, alia acceperunt, quibus eorum damnum levaretur, ut exponit Alcibiades apud Isocratem XVI 46. Omnes cives, optimates et populares, unanimiter muneribus functi sunt, quamquam consentaneum est exsules, quae pars maior erat, imprimis e suis magistratus creavisse. Incredibile certe est, quod Scheibe l. l. p. 148 docet, viginti viros, quibus respublica administranda mandata est, donec leges recensae essent, ex optimatibus electos esse, neque putaverim a Polluce VIII 112: »*τούτους* (*τοὺς εἴκοσι*) *εἵλοντο μετὰ τοὺς τριάκοντα τῆς πολιτείας καὶ τῶν νόμων ἐπιμελητάς, ἀριστίνδην ἐπιλεξάμενοι*« hanc sententiam exhiberi, nam *ἀριστίνδην* non semper est: »ex optimatibus«, sed etiam: ex optimis, vel: pro hominum virtute. In legibus tum recensis et mutatis amnestiae rationem habitam esse testatur Isocr. XVIII 21. Dubitari autem licet, num plane Athenienses amnestiam servaverint, cum equitibus *τὴν κατάστασιν*, quae quid sit exponit Scheibe p. 145 sq., (cf. ea, quae exponit Sauppe in »Philologo« XV 69—76) adimerent, quamquam eo, quod postea, ut Xen. hell. III 1,4 tradit, nonnullos eorum Thibroni auxilio miserunt, amnestiam non laeserunt, quoniam puniendi causa eos non miserunt, quamvis optarent, ut illa expeditione perirent. Neque magis amnestia laesa est Socratis supplicio, ut Hertzberg l. l. p. 371 putare videtur aliique putaverunt. Nam Socrates non mortis damnatus est propter ea, quae anarchiae tempore commiserat, sed quia contra civitatis leges et instituta facere pergebat, ut Forchhammer »die Athener und

Sokrates« pp. 36 et 46 demonstravit, quamquam sine dubio eo magis popularium iram excitavit, quia optimatium partis fuerat.

Certe autem Athenienses adversus amnestiae condiciones et iuramenta, quibus omnes res ante actas sese oblivioni daturos esse polliciti erant, fecissent, si lege statuissent, ut eis, qui anarchiae tempore equites fuissent aut munere functi essent, republica restituta munere fungi non liceret, ut Frohberger Lysiae or. sel. ed. mai. I p. 176 et ed. min. p. 139 et Grosser l. l. p. 45 docent. Sed vereor, ne viri docti unum locum, quo nituntur, Lys. XXVI 9 et 10, falso intellexerint. Nonne Lysias hoc loco spinas vellit et legislatori sententiam imputat, quae huic ipsi numquam in mentem venit? Ea verba, quae sola Grosser e §§ 9 et 20 laudat, tantum abest, ut hanc suspicionem infringant, ut eam augeant, nam verba: »ὁ θεὶς τὸν περὶ τῶν δοκιμασιῶν νόμον οὐχ ἥκιστα περὶ τῶν ἐν ὀλιγαρχίᾳ ἀρξάντων ἕνεκα ἔθηκεν, ἡγούμενος δεινὸν εἶναι, εἰ δι᾽ οὓς ἡ δημοκρατία κατελύετο, οὗτοι ἐν αὐτῇ τῇ πολιτείᾳ πάλιν ἄρξουσι« mihi quidem indicare videntur legislatorem hoc diserte non statuisse, neque est, quod de lege post trigintavirorum oligarchiam solutam lata cogitemus. Recte sola laudari poterant paragraphi decimae verba haec; »εἰ μὲν δὴ βουλεύσων νυνὶ ἐδοκιμάζετο καὶ ὡς ἱππευκότος αὐτοῦ ἐπὶ τῶν τριάκοντα ἄρμα ἐν ταῖς σανίσιν ἐνεγέγραπτο, καὶ ἄνευ κατηγόρου ἂν αὐτὸν ἀπεδοκιμάζετε«, sed etiam haec verba neque ostendunt eiusmodi legem latam esse neque vera sunt, ut elucet e Lysiae XVI 8 verbis hisce: »ὁρῶ δὲ ..... πολλοὺς μὲν τῶν τότε ἱππευσάντων βουλεύοντας, πολλοὺς δὲ αὐτῶν στρατηγοὺς καὶ ἱππάρχους κεχειροτονημένους«, quibus verbis manifestum est Frohbergeri et Grosseri sententiam quam maxime refutari.

His omnibus fere rebus et aliis hic omissis recte Xenophontem et Isocratem Athenienses laudavisse confirmatur, attamen negari non potest non ita raro quosdam homines amnestiam laedere conatos esse et re vera interdum eam esse laesam, compluribus enim Lysiae et aliorum orationibus servatis constat saepius homines facinorum amnestia oblivioni datorum accusatos esse, de quibus orationibus accuratius nunc nobis disserendum erit. Quae tamen non propter hanc unam quaestionem nobis tractandae erunt, restat enim altera, quam ab hac dirimere nolui, de qua in § 1 disserui. Demonstrandum nobis erit his orationibus sententiam nostram capite primo

expositam, altero defensam aut affirmari aut certe non infringi. Atque eis diligenter perlustratis et singulis locis recte explicatis etiam magis videbimus ea, quae Grosser de amnestiis duabus docuerit et his quoque orationibus firmare conatus sit, refelli.

§ 26. Quarum omnium prima respicienda est Lysiae oratio duodecima, qua Eratosthenem tringintavirum Polemarchi, fratris sui, mortis accusat. Hanc enim causam plerique viri docti putant amnestia neglecta actam esse, sed oratione examinata et perlustrata apertum erit nullam ei cum amnestia intercedere rationem. Quodsi primum de huius orationis tempore quaerimus, inter omnes viros doctos nunc constat eam habitam esse paulo post exsulum reditum, priusquam Eleusis recuperaretur, nam etiam Rauchenstein, qui olim, in »Philologo« X p. 590—607 et in Lys. or. sel. editione tertia, post bellum Eleusinium finitum et amnestiam decretam eam posuit, in editionibus posterioribus hanc sententiam missam fecit, eis fortasse commotus, quae Frohberger in ann. phil. et paed. LXXXII p. 408—410 contra eum disputavit. Quod cum ita sit, ex eis, quae de amnestia docui, necesse est sequi amnestiam decretam esse post hanc orationem habitam eaque neque laedi neque omnino respici posse. Neque ullum tota oratione invenitur amnestiae datae indicium, id quod Frohbergero et Heckero tantopere persuasum erat, ut ille l. l. praecipue hoc argumento contra Rauchensteinium uteretur, hic non minimum hoc argumento commotus libellum scriberet »de oratione in Eratosthenem Lysiae f a l s o tributa« progr. Gymn. Lugd. 1848. Nihilominus Grosser, quem statuere oportet amnestiam suam priorem et graviorem, antequam haec oratio haberetur, decretam esse et iureiurando sanctam, complures orationis locos sibi videtur invenisse amnestiam respicientes et suam sententiam affirmantes, ullum negat exstare, qui ei obloquatur, quos omnes interpretatur in diss. p. 24—32. Sed non difficile est ad demonstrandum eum hanc orationem non secus tractavisse ac ceteros fontes, neque enim ad ea, quae exstant, sententiam suam accommodavit, sed secundum sententiam suam ante fictam hanc quoque orationem interpretatus est.

Amnestiam arbitratur respici in §§ 79, 80, 87, 88, 92, 95. In §§ 79 et 80 nihil est, quod amnestiam possit spectare. Multos iudices Eratosthenem absolvere cupivisse etiam aliis orationis locis constat, neque vero propter amnestiam datam cupiverunt, sed propterea,

quia Eratosthenes Theramenis amicus fuerat et deinde trigintavirorum partem reliquerat et in urbanorum numero habebatur, et quia metuendum erat, ne pax modo restituta iam hac causa turbaretur. Verba autem »συγγνώμην καὶ ἔλεον« non indicare amnestiam cum per se apertum est tum comparato loco simillimo, Lys. XIV 40. Quid in § 87 amnestiam indicare possit, non intellego, manifestum enim mihi esse videtur verba »ἀδεῶς« et »ἐπιλήσμονας« ad eam referri non posse. Opponuntur potius inter se ea, quae Eratosthenes et eius socii nunc ab Atheniensibus exspectant, et ea, quae antea ipsi eis fecerunt. Sententia igitur haec est: testes credunt valde vos immemores eorum, quae trigintaviri fecerunt, et inertes esse, si non metuentes sperant fore, ut trigintaviri, qui maxima mala vobis paraverint, a vobis absolvantur, cf. Lys. XXXIV 2. Neque magis ullum amnestiae indicium inest paragrapho sequenti, qua orator iudices adhortatur quidem, ne accusatum vel accusatos, ut dicere mavult, absolvant, sed ne propter amnestiam absolvant, hanc sententiam inesse vix crediderim praeter Grosserum quemquam umquam intellexisse vel omnino intellegere posse. Quod deinde ad § 92 »τοῖς νικήσασι ἴσον ἔχετε« annotat: »die Amnestie involvirte die Gleichheitsverträge«, notum est non amnestia cives omnes eadem iura habuisse, sed iam pace ipsa. Denique ea, quae § 94 describuntur, reditu et sola pace exsules assecutos esse nemo erit, qui neget. Cognovit deinde Grosser oratorem compluribus locis, e quibus imprimis afferenda est paragraphus 28, operam dare, ut parcat civibus, qui trigintavirorum facinorum socii facti sint, et huius quoque rei causam habet amnestiam datam. Sed ne hoc quidem ullo argumento probari potest, eodem iure obiici potest oratorem inter cives modo reconciliatos novas discordias excitare noluisse. Atque etiam alia ratione ei certe non neglenda ductus sit. Quamquam plerosque iudices exsules fuisse ex oratione elucet et consentaneum est, tamen pro certo habere possumus et § 92 ostendit non paucos urbanorum fuisse partis, quorum rationem habuisset etiam orator Lysia minus callidus.

Quibus demonstratis cum constet tota oratione nullum inveniri locum, qui pro Grosseri sententia faciat, complures sunt, qui eam aperte refellant, qui haud dubie ostendant amnestiam ante hanc orationem habitam decretam esse non posse. In § 35 verba: »ὧν οἱ μὲν ὑμέτεροι ὄντες πολῖται μαθόντες ἀπίασιν, ὅτι ἢ δίκην δώσουσιν,

ὧν ἂν ἐξαμάρτωσιν ἢ. πράξαντες« etc. dici non poterant amnestia iureiurando sancta, nam etsi concedo Eratosthenem adversus amnestiam accusari potuisse, quia unus e trigintaviris fuerat, certissime Lysias, nisi amnestiam paene illudere volebat, dicere non potuit Eratosthenem condemnandum esse, ut etiam ceteri eius factionis cives scirent sese punitum iri. Ea quoque, quibus in §§ 55—61 decemviros, trigintavirorum successores, qui amnestiae participes erant, vehementer increpat, amnestia decreta proferre ausus non sit. In § 85 Eratosthenis adiutores sperant multam impunitatem eorum, quae fecerint, sibi futuram esse, si Eratosthenes absolvatur. Itaque nondum eis est impunitas. Quomodo dilucidius indicari potuit amnestiam nondum decretam esse? Nam si iam fuit, etiam impunitas omnium eorum, quae fecerant, eis data erat, praesertim cum verbum ἄδεια saepius idem fere significet atque ἀμνηστία.

Non refutavit Grosser id argumentum, quod Frohberger in a. ph. et p. LXXXII p. 408 protulit e §§ 36 et 83 petitum, ubi Lysias postulat, ut tringintavirorum liberi puniantur, quos amnestiae participes fuisse ostendit Demosthenes XL 32 hisce verbis: »οὐδὲ τοὺς τῶν τριάκοντα υἱεῖς φυγαδεῦσαι ἐκ τῆς πόλεως ἠξιώσατε«. Fieri, hoc concedo, si duae amnestiae fuissent, potuit, ut liberi a priore cum parentibus excluderentur, altera reciperentur, quae est Grosseri sententia, sed tum sine dubio in iureiurando apud And. I 90, quod ad priorem amnestiam suam refert, nominandi erant inter eos, qui amnestiae exempti erant, ut exempli gratia apud And. I 74: »αὐτοὺς καὶ τοὺς ἐκ τούτων« liberi diserte ad patres adduntur. Quod quoniam factum non est, ipsi Grossero non licet eos a priore amnestia sua exclusos habere, et ita hi quoque loci ostendunt amnestiam non decretam esse, antequam haec oratio haberetur. Quae Grosser p. 30 de paragrapho 83 de verbis: »ἀλλὰ γὰρ εἰ τὰ χρήματα τὰ φανερὰ δημεύσετε, καλῶς ἂν ἔχοι« contra Frohbergerum disputavit, plurima certe probanda sunt, sed ex eis nihil pro sua sententia colligere potuit neque collegit. Falso Frohberger haec verba attulit, quibus demonstraret amnestiam tum nondum fuisse, nam publicanda erant trigintavirorum bona non propter amnestiam, sed iam idcirco, quia a pace exclusi et sic patria expulsi erant, id quod, praeterquam quod mos erat Atheniensium (cf. Meier »de bonis damn.« p. 98 sq. et Hermann l. l. § 124,4), diserte Nepos tradit, ut supra (§ 5) vidimus.

Haec autem publicatio dilata fortasse erat, aut, quae sententia mihi quidem ab hac oratione non aliena esse videtur, hoc loco non cogitandum est de omnium trigintavirorum bonis, sed non secus ac compluribus orationis locis orator ea de trigintaviris omnino dicit, quae de Eratosthene solo et Phidone fortasse dicenda erant.

Quibus de causis si fieri non potest, ut, antequam haec oratio haberetur, amnestia promulgata sit, constat nullam rationem huic orationi cum amnestia intercedere. Simul autem haec disputatio novum argumentum de eis, quae de amnestia docui, mihi suppeditat, nam, si ante eam amnestia non decreta est, sequitur Grosserum et ceteros falso priorem amnestiam statuisse. Atque Grosser p. 32 ipse concedit Eratosthenem non amnestia nisum esse sed amicorum patrocinio. Sed nonne maxime consentaneum est eum ad illam refugiturum fuisse, si re vera fuisset? Certe respondisset se amnestiae participem esse, quia a trigintavirorum parte plane secessisset et ceteris urbanis annumerandus esset, aut se rationem reddere paratum eaque reddita amnestiam meriturum esse, quorum rectissime illud respondere poterat, ut Grosser ipse recte exponit l. l. p. 26 et in ann. ph. et p. IC p. 195. Quodsi his de causis verisimillimum est eum amnestia sese tueri conaturum fuisse, non minus ex accusatoris usu pro certo habendum est Lysiam hoc argumentum praesumpturum fuisse.

Quomodo § 35 verba »*τοὺς τριάκοντα ἐκκηρύττουσιν ἐκ τῶν πόλεων*« intellegi velim, supra (§ 17) iam exposui.

Denique Grosser l. l. p. 29 et in ann. ph. et p. IC p. 196 sq. in hac oratione duos locos invenit, qui ei demonstrare videntur inter pacem compositam et bellum Eleusinium finitum longius temporis spatium interiectum esse, qui tamen re vera non multo plus demonstrant quam uno die hoc bellum non esse perfectum, nam § 80: »*μηδ' ἀποῦσι μὲν τοῖς τριάκοντα ἐπιβουλεύετε*« et § 94: »*τοῖς πολεμίοις μάχεσθε*« nihil demonstrant nisi tum hoc bellum iam paratum et coeptum esse. Quin etiam, si recte haec causa quam proxime post introitum exsulum in urbem instituta esse putatur, neque verisimile est per longum tempus illud bellum ductum esse, potius ex his duobus locis concludas non diu post exsulum reditum Eleusina receptam et amnestiam decretam esse.

Vero proximum est Eratosthenem absolutum esse, et quattuor

annis post cum Phidone iterum accusatus esse videtur, nam is, qui Lysiae oratione decima Theomnestum accusat, gloriatur sese, simulatque suae tutelae factus esset, trigintaviros mortis patris sui accusavisse: »ἐπεξῆλθον τοῖς τριάκοντα« (§ 31), quae verba de solis Phidone et Eratosthene intellegi posse et intellegenda esse Rauchenstein in »Phil.« X p. 600 recte demonstravit, sed iterum absolutus esse videtur.

§ 27. Etiam altera Lysiae oratio tractanda nobis est, quamquam amnestiam non respicit, quia et ea contra nostram rationem facere videri potest, Lysiae dico orationem tricesimam quartam, quae habita est contra Phormisii rogationem alio fonte nobis non notam, ut dominatio eis daretur, qui agros possiderent, qua accepta quinque civium milia dominatione privati essent. Hanc enim rogationem plerique viri docti arbitrantur statim post exsulum reditum latam esse, antequam Eleusis reciperetur. Quod quia Dionysius Halicarnassensis »de Lysia« c. 32, ubi huius orationis fragmentum servatum est, eis, quae de argumento praemittit, verbis: »τοῦ γὰρ δήμου κατελθόντος ἐκ Πειραιῶς καὶ ψηφισαμένου διαλύσασθαι πρὸς τοὺς ἐν ἄστει καὶ μηδενὸς τῶν γενομένων μνησικακεῖν«, de quibus iam antea (§ 21) disserendum nobis erat, tradit amnestiam ante hanc orationem habitam decretam esse, haec causa, si recte viri docti de tempore sentiunt, nostrae de amnestia sententiae obloquitur, atque certe mirandum est Grosserum, qui p. 34 sq. Dionysii verba affert, in quibus exsulum reditus et amnestia arcte coniungantur, hoc argumentum plane neglexisse neque in ann. ph. et p. CI p. 593—600, ubi pluribus verbis de hac oratione loquitur, hanc conclusionem fecisse. Quod argumentum ne nunc meae argumentationi opponere possit, haec difficultas tollenda mihi est, demonstrandum igitur est errare aut Dionysium, cum post amnestiam promulgatam hanc orationem habitam esse dicat, aut viros doctos recentiores, cum ante Eleusina receptam hanc causam actam esse statuant. Quamquam de hac quaestione certe non ita multum ea valent, quae Dionysius obiter in orationis argumento profert, quia non difficile fieri potuit, ut per errorem amnestiam arctius cum reditu coniungeret neque de bello Eleusinio quidquam sciret, praesertim si harum rerum auctorem non adhibuit Philochorum, ut Blass l. l. I 442 putat, vel alium scriptorem, sed ea, quae in hac oratione et alia fortasse de eadem causa habita non invenit, e memoria exposuit, tamen huius erroris eum argui non oportet, quia non

sunt argumenta, quibus pro certo demonstretur hanc Phormisii rogationem latam esse, priusquam Eleusis reciperetur.

Apertum est non plane rempublicam institui potuisse, quamdiu trigintaviri et cum eis multi cives Athenienses nobiliores Eleusine se continebant. Quam ob rem fortasse factum est, ut respublica non plene et perfecte restitueretur, priusquam ei quoque in civitatem redissent, atque hoc facto demum Phormisius rogationem suam ferret. Aut, si respublica iam antea restituta erat, sine dubio, cum ei omnes, qui Eleusine fuerant, in urbem reverterentur, ordinem modo restitutam turbari et novas deliberationes excitari oportuit, quibus Phormisius ad rogationem suam ferendam commoveretur. Cui sententiae non obloquunter ea, quae Usener in ann. ph. et p. CVII 145—174 de hac oratione exposuit, sunt autem reiicienda ea, quae Grosser ib. l. l. de orationis tempore disseruit, quibus brevi post exsulum reditum eam habitam esse posse bene exponit, sed re vera eam habitam esse nullis argumentis probat. Nam quod p. 593 dicit: »Ebenso wenig ist der Antrag nach dem viel späteren Falle von Eleusis gestellt worden, da desselben mit keinem Worte gedacht ist, die Sache auch an und für sich keinen so langen Aufschub duldete«, iam nobis constat Eleusina non multo post reditum recuperatam esse. Cur belli Eleusinii orator mentionem faciat, manifestum est nullam esse causam, neque licet ex hoc silentio argumentum petere. Quomodo autem fieri potuerit, ut post Eleusina recuperatam haec rogatio ferretur, ex eis, quae modo exposui, spero satis elucere. Recte Grosser deinde exponit orationis (§ 6) verbis: *»εἰ μὴ ποιήσομεν, ἃ Λακεδαιμόνιοι κελεύουσιν* . . . . . *εἰ ποιήσαιμεν, ἃ ἐκεῖνοι προστάττουσιν«* et Dionysii verbis: *»βουλομένων ταῦτα γενέσθαι καὶ Λακεδαιμονίων«*, quae sine dubio ex illis hausta sunt, non significari condicionem pacis, quam simul cum iila pace Pausania auctore inter duas civitatis partes composita inter Athenienses et Lacedaemonios factam vel renovatam esse supra (§ 7) vidimus. Attamen probari non potest haec verba ironice dicta esse neque rem veram spectare. Ironice fortasse exaggerata sunt verba: *»εἰ μὴ ποιήσομεν, ἃ Λακεδαιμόνιοι κελεύουσιν«*, quia haec adversariorum verba sunt, sed quo iure Lysias sive is, cui hanc orationem scripsit, ironice respondere potuit: *»ἐγὼ δὲ τούτους εἰπεῖν ἀξιῶ, τί τῷ πλήθει περιγενήσεται, εἰ ποιήσαιμεν, ἃ ἐκεῖνοι προστάττουσιν«*? Unum respondendum ei erat illa adversariorum verba vana esse, Lacedaemonios

omnino nihil imperavisse. Quod quoniam non respondet, dilucide ostendit in re vera illud adversariorum argumentum niti. Efficitur igitur Spartanos Atheniensibus hanc reipublicae mutationem imperasse vel mandasse. Quod facere iam potuit Pausanias, sed, quia probabilius est eum, si ita rempublicam institui voluisset, pacis de hac re condicionem facturum fuisse, nihil relinquitur, nisi ut statuamus Lacedaemonios postea talia optavisse vel postulavisse. Fortasse Pausania in patriam reverso et accusato, ut narrat Pausanias III 5,3 (2 Bekk.), Lacedaemonii, quia res ab eo gestas infectas reddere non poterant, statim legatos Athenas miserunt, qui id saltem efficerent, ne democratia Spartanis maxime metuenda plane restitueretur. Fortasse Eleusis capta huius legationis causa fuit, nam usque eo Athenienses hac civitate separata eis infesta coërciti erant, hac autem cum Athenis coniuncta multo magis Lacedaemoniis metuendi erant. Neque in oratione ipsa neque in Dionysii argumento ullus locus exstat, qui nos impediat, quominus post Eleusina recuperatam hanc causam ponamus. Facillime autem sic, ut omittam Dionysii verba: »καὶ πολλῶν ὑπὲρ τούτου γινομένων λόγων«, explicatur, cur idem dicat: »ὑπόθεσιν δὲ περιείληφε τὴν περὶ τοῦ μὴ καταλῦσαι τὴν πάτριον πολιτείαν Ἀθήνῃσι«. Quod autem attinet ad alteram Phormisii rogationis partem, quae hac oratione, quae non una contra hanc rogationem habita est, omnino non tangitur, sed a Dionysio commemoratur verbis: »τοὺς μὲν φεύγοντας κατιέναι«, verbum »φεύγοντας« referri non potest cum Grossero ad eos urbanos, qui Eleusina se contulerant, qui male φεύγοντες nominarentur neque omnino, quia sua sponte eo migraverant, hoc modo revocari potuerunt, sed ad eos, qui ab amnestiae beneficio exclusi erant, i. e. trigintaviros superstites et undecimviros (et decemviros Piraeenses, cf. § 19). Eidem igitur sunt, qui apud Andocidem I 91 in senatus iureiurando significantur verbis: »πλὴν τῶν φυγόντων« et saepius respiciuntur in Lysiae oratione XXV, ubi § 24 »οἱ φεύγοντες« nominantur.

Vix addendum mihi est amnestiam hac causa non laedi, quia Phormisius propter res antea gestas quemquam a republica gerenda excludi noluit.

§ 28. Inter eas orationes servatas, quae post amnestiam decretam habitae sunt et de causa adversus amnestiam instituta, prima tractanda nobis est Lysiae oratio vicesima quinta, quae falso inscripta

est »δήμου καταλύσεως ἀπολογία«, quam potius in magistratuum probatione, quae δοκιμασία apud Athenienses vocabatur, in heliastarum iudicio orationem defensoriam habitam esse Meier (»Att. Process« p. 208) coniecit et complures orationis loci planum faciunt atque probant, qui allati inveniuntur apud Blassium l. l. I p. 508, Frohbergerum Lys. or. sel. ed. mai. I p. 175, ed. min. p. 138, alios.

Priusquam vero ad orationis argumentum transeamus, quando habita sit, quaerendum nobis est, de qua quaestione valde inter se differunt viri docti recentiores. Cum hoc quidem inter plurimos diu constiterit et etiamnunc constet post Eleusina recuperatam hanc causam actam esse, Grosser l. l. p. 23 sq. et pluribus verbis in ann. ph. et p. IC, 198—207 et 455 sq. demonstrare conatus est eam iam antea actam esse. Quam sententiam accepit is, qui (»litt. Zentralblatt«, 1869, Nr. 47, p. 136) Blassii l. l. tomum primum recensuit, qui litteris ἑλ nomen suum celavit, et accepisse videtur Rauchenstein, Lys. or. sel. edit. sept., p. 104, quam hoc anno impugnavit Stutzer in »Herme« XV p. 35—40, quem secutus Fuhr apud Rauchensteinium l. l. vetustiorem sententiam restituit.

Sunt complures orationis loci, quos inter omnes viros doctos constat ostendere amnestiam, antequam haec oratio haberetur, decretam esse et ab oratore monstrari, qui loci sunt hice: § 23: »οἵτινες ὁμονοεῖν ὑμᾶς βουλόμενοι τοῖς ὅρκοις καὶ ταῖς συνθήκαις ἐμμένουσι«, § 28: »διεκελεύσαντο τοῖς ὅρκοις καὶ ταῖς συνθήκαις ἐμμένειν«, § 34: »πρὸς πάντας ὑμᾶς τοὺς πολίτας ταῖς συνθήκαις καὶ τοῖς ὅρκοις ἐμμένειν«. Quibus e locis quia eluceat amnestiam ab oratore respici, Grosser, si recte demonstraverit orationem habitam esse, antequam Eleusis caperetur, novo argumento ea, quae de amnestiis duabus doceat, firmavisse sibi videtur, atque recte videretur, si utrumque recte statuisset. Sed praeterquam quod hoc argumentum Stutzer impugnavit, etiam de illo omnibus viris doctis adhuc probato dubitari licet. Eorum sententia tribus locis laudatis amnestia indicatur, quia orator adhibet verba »οἱ ὅρκοι καὶ αἱ συνθῆκαι«. Sed collatis eis, quae supra (§ 9) exposui, propter has solas voces diiudicari non potest, utrum amnestiam spectet orator an pacem Pausania auctore reconciliatam, nam hanc quoque, ut supra (§ 12) demonstravimus, compositam et iureiurando sanctam esse oportet, itaque haec quoque »οἱ ὅρκοι καὶ αἱ συνθῆκαι« vocari potuit praecipue tum, cum

amnestiae pactio nondum facta erat. Qua de causa, quoniam ex his verbis certi quidquam cognosci non potest, quid significent, e contextu sententiarum quaerendum est. § 23, e qua verba supra laudata sumpsi, nihil continet, quod necessario de amnestia intellegendum sit, nam concordia iam pacis condicio fuit, quae, si metuendum erat, ne turbaretur, saepius bonus civis pacis condicionum accusatores admonuerit. Quae eadem dicenda sunt de § 28, quae est alter e tribus illis locis, atque etiam § 30, in qua amnestiae indicium inveniat quis, de sola pace intellegi potest. Quodsi his locis probari non potest post amnestiam promulgatam hanc orationem habitam esse, de amnestia melius intelleguntur verba orationis extrema, e quibus apparet eo iudices pacis condiciones et iusiurandum laedere, si propter facinora ante commissa homines in iudicium vocant, quod amnestia demum decreta diserte vetitum erat. Quam ob rem etiam nobis statuendum est post amnestiam decretam hanc orationem habitam esse, sequitur igitur, ut nobis demonstrandum sit aut falso aut certe non necessario ei tempori, quod inter exsulum reditum et bellum Eleusinium finitum interiectum est, hanc causam a Grossero tributam esse.

Quam rem parva opera expedire possem, si ea, quibus Stutzer demonstravit non certum, sed tamen verisimile esse hanc orationem habitam esse, postquam Eleusis recuperata esset, mea facerem. Attamen hoc facere non audeo, quia vereor, ne Stutzeri argumentis Grosseri sententia plerisque viris doctis non refutata videatur, neque scio, an ipse eius loco Grosserum secuturus fuerim, quippe cuius de hac oratione commentatio, quamvis magni errores non desint, ceteris sit sine dubio melior. Stutzero enim contingere non potuit, ut Grosseri sententiam refelleret, quia in ea quaestione, a qua ordiendum erat, parum versatus et ipse sibi persuasit bis amnestiam decretam, trigintaviros omnes per insidias interfectos, undecimviros et decemviros amnestia data urbe receptos esse. Quibus concessis complures orationis loci vix aliter, quam Grosser interpretatus est, intellegi possunt. Ex eis, quae § 24 leguntur: »*οἱ φεύγοντες τῶν ἄλλων πολιτῶν ὡς πλείστους καὶ διαβεβλῆσθαι καὶ ἠτιμῶσθαι βούλονται ἐλπίζοντες τοὺς ὑφ᾽ ὑμῶν ἀδικουμένους ἑαυτοῖς ἔσεσθαι συμμάχους*« neque minus e § 6: »*ἱκανοὶ γὰρ οἱ ὑπάρχοντες ἐχθροὶ τῇ πόλει καὶ μέγα κέρδος νομίζοντες εἶναι τοὺς ἀδίκως ἐν ταῖς διαβολαῖς καθεστη-*

κότας«, et § 20: »τοῖς ἐχθροῖς ἀνιαρότατα ψηφιεῖσθε« et § 23: »τοῖς ὅρκοις καὶ ταῖς συνθήκαις ἐμμένουσι, νομίζοντες καὶ τῆς πόλεως ταύτην ἱκανωτάτην εἶναι σωτηρίαν καὶ τῶν ἐχθρῶν μεγίστην τιμωρίαν«, elucet cives quosdam in exsilium expulsos popularibus infestos sive re vera sive oratoris sententia civitati reconciliatae et restitutae minari. Qui loci de eis intellegi possunt, qui popularibus Athenis potitis Eleusine aut iam erant aut eo se contulerunt, quamquam vox φεύγοντες melius de eis usurpatur, quos re vera monstrari statim videbimus. Stutzer autem hac voce eos putat significari, qui ante trigintavirorum dominatum a populo in exsilium missi neque anno 404 reverterint neque ad urbem liberandam cum Thrasybulo sese coniunxerint neque trigintaviris interfectis, i. e. Eleusine recepta, Athenas reverterint. Tales homines fuisse certe Sieversio l. l. p. 87 concedendum est, sed num ullo iure orator de eis hoc modo loqui potuit? Etiam mea sententia ex hac oratione non licet colligere Atheniensibus tum re vera periculum fuisse, ne iterum ab optimatibus respublica everteretur, immo bene fieri potuit, ut orator, qui id ageret, ut quam dilucidissime ostenderet, quanta pericula civium discordia reipublicae pararentur, vera pericula exaggeraret et de hostibus insidiantibus loqueretur, etiamsi pauci discordiam civium exspectaverunt. Attamen, quisnam sibi persuadebit Atheniensium quemquam illos metuisse, qui ne tum quidem Athenas reverterant, cum populi potestate deleta dominatio optimatibus cesserat? Numquam fortasse illorum numerus minor fuit quam tum, neque umquam sine dubio minus illis commemoratis metus civibus iniici potuit. Itaque hac ratione ea, quae Grosser docuit, refutari non possunt, praesertim cum neque ea argumenta, quae Stutzer p. 39 pro sua sententia profert, tantum valeant, ut aperte Grosseri sententiam falsam esse ostendant.

Est autem magna illa difficultas, quae Stutzero obstat, plane sublata, postquam hac dissertatione pro certo demonstratum est unam amnestiam decretam esse post Eleusina recuperatam, pro verisimili praeter undecimviros (et decemviros Piraeenses) saltem complures trigintaviros superstites ea decreta in exsilium missos esse. Hi igitur, quibuscum fortasse nonnulli alii, qui Athenas redire non audebant, in exsilium ierunt, huius orationis locis laudatis intellegendi sunt et optime intellegi possunt. Hi recte φεύγοντες nominantur eodem modo atque in senatorum iureiurando apud And. I 90 et in

Dionysii praefatione ad Lys. XXXIV, et certe, etiamsi numquam dominationem iterum recuperare aperte conati sunt, qua de causa scriptores nihil de eis tradunt, speraverunt fore, ut discordia inter civium partes duas reconciliatas orta civitas iterum turbaretur. Itaque de eis rectissime omnia orator dicere potuit, quae dicit, et erat, quod eorum cives, qui iudicum munere fungebantur, admoneret. Hac eadem sententia § 3 dicit: »*οὕτω γὰρ ἂν τοῖς καθεστηκόσι πράγμασι πλείστους συμμάχους ἔχοιτε*«.

Postquam sic demonstravimus ex his locis, quibus Grosser imprimis nisus est, nequaquam elucere hanc orationem habitam esse, antequam Eleusis recuperaretur, restat, ut reliqua eius argumenta minora refellamus. Affert pro sua sententia paragraphum 5, quo loco eo minus niti ei licet, quia haec sententia aut non sana est aut saltem inter inelegantissimas numeranda, quae umquam a Lysia profectae sunt, nam sententiae condicionalis post primam apodoseos partem tantopere obliviscitur, ut »*εἴπερ ἐδύναντο οἱ κατήγοροι ἰδίᾳ με ἀδικοῦντα ἐξελέγξαι, οὐκ ἂν τὰ τῶν τριάκοντα ἁμαρτήματα ἐμοῦ κατηγόρουν, οὐδ' ἂν ᾤοντο χρῆναι ὑπὲρ τῶν ἐκείνοις πεπραγμένων ἑτέρους διαβάλλειν, ἀλλ' αὐτοὺς τοὺς ἀδικοῦντας τιμωρεῖσθαι*« sit sententia ineptissima et Lysia vix digna. Collegit autem ex his Grosser verbis »*αὐτοὺς τοὺς ἀδικοῦντας*« imprimis trigintaviros significari eosque verbum »*τιμωρεῖσθαι*« docere nondum punitos esse, quod Eleusine capta factum esse. Sed, quamquam antea *οἱ τριάκοντα* vocantur et verbo »*ἐκείνοις*« monstrantur, tamen haec verba ad eos referri non possunt, nam e contextu sententiarum apparet verbum »*τιμωρεῖσθαι*«, sicut in § 35: »*τοὺς μηδὲν αἰτίους ἐξ ἴσου τοῖς ἀδικοῦσι τιμωρούμενοι*«, dictum esse de eadem poena, qua accusatores reum nostrum et iam afficiunt et afficere volunt, de accusatione et damnatione. Accusari autem neque poterant trigintaviri, quamdiu Eleusine erant, neque, postquam inde fugerunt. Quam ob rem haec verba referenda sunt ad optimates nocentes, qui tum Athenis erant. Fuisse autem tum Athenis optimates, qui oratoris sententia recte in iudicium vocari possent, satis ostendit § 35, qua eadem paragrapho docemur hunc urbanum non dubitavisse ceteros, qui eiusdem factionis fuerant, deserere et prodere, dummodo ipse servaretur. Neque neglegendum mihi videtur Athenis ipsis duos e trigintaviris tum fuisse, Eratosthenem et Phidonem. Cui sententiae non obloquuntur verba,

quae sequuntur: »νῦν δὲ νομίζουσι τὴν πρὸς ἐκείνους ὀργὴν ἱκανὴν εἶναι καὶ τοὺς μηδὲν κακὸν εἰργασμένους ἀπολέσαι«, nam haec verba eodem modo intellegenda sunt: nunc autem illis irasci eis sufficit neque eos accusant, accusant innocentes; neque est, quod cum Grossero ex eis colligamus Athenienses tum de tringintaviris ulciscendis cogitare coepisse. Falso autem Stutzerum Grossero opposuisse etiam de trigintaviris interfectis verba »τὴν πρὸς ἐκείνους ὀργὴν« intellegi posse satis elucet ex uno verbo »ἱκανήν«, nam orator vituperat accusatores, quod sola ira eis sufficiat, quidnam vero aliud tyrannis mortuis fieri potuit? Eosdem autem optimates nocentiores spectat orator § 18 verbis: »ἐξὸν ὀργίζεσθαι τοῖς εἰς τὸ πλῆθος ἐξημαρτηκόσιν«, cum § 16 verba: »τοῖς τῶν γεγενημένων κακῶν αἰτίοις ὀργίζεσθε« in universum dicta sint de omnibus hominibus nocentibus, imprimis de trigintaviris.

Deinde Grossero complures huius orationis loci indicare videntur nuperrime populares in urbem redisse, p. 201: »dagegen steht die Heimkehr der Demokraten im frischesten Andenken: § 9, 20, 22, 29 κατελθόντες«. Quot verba, tot errores, quamquam nihilominus Stutzer hanc sententiam veram habet. Etiam horum locorum duobus, § 20 et 29, participium κατελθόντες occurrit et denuo virum doctum in errorem induxit. Athenienses, quia »κατελθόντες« vocentur, nuperrime redisse oportet! Sed quaenam alia vox voci »φεύγοντες« utroque loco opponi potuit, etiamsi diu post exsulum reditum oratio habita esset? Cf. Isocr. XVI 42 et Lys. XVIII 9. E § 9 ne id quidem diiudicari potest, utrum factum sit propius, quadringentorum dominatio (anno 411!) an exsulum reditus (anno 403!). § 22 autem falsissime allata est, nam hac tota paragrapho reditus ipse non commemoratur, sed orator loquitur de rebus eo tempore gestis, quo tringintaviri nondum Eleusina migraverant, quas eodem loco laudato Blassium l. l. I 509 secutus remotiores videri docet: »die Ereignisse unter den Dreissig nicht mehr der unmittelbaren Vergangenheit angehörten. Natürlich, weil die Dreissig schon länger gestürzt und schon während des Bürgerkriegs in Eleusis waren«. Quodsi quaerimus, quomodo ad tantum errorem permotus sit, non alia invenitur causa, quam quia bis hac paragrapho occurrit verbum κατιέναι, scilicet de tempore futuro usurpatum.

Id argumentum, quod Grosser deinde ex exemplis § 21—23 enumeratis petebat, Stutzer p. 40 iam refutavit. In § 33 e verbis: »*διὰ τοὺς ἐκ Πειραιῶς κινδύνους*« de orationis tempore nihil concludi potest, quia, quod inter exsules fuerant et patriam liberaverant, semper illis hominibus gloriae et usui erat, neque haec merita expeditione Eleusinia aut deleri aut omnino obscurari poterant, praesertim cum haec non ab exsulibus solis facta esset et multo minoris momenti fuisset quam illud exsulum bellum contra patriam gestum.

Denique § 17 verba: »*ὅστις γὰρ τότε οὐδὲν ἐξήμαρτον οὕτω πολλῆς δεδομένης ἐξουσίας, ἦ που νῦν σφόδρα προθυμηθήσομαι χρηστὸς εἶναι εὖ εἰδώς, ὅτι, ἐὰν ἀδικῶ, παραχρῆμα δώσω δίκην*« non pro certo ostendunt paulo post rempublicam restitutam hanc causam actam esse, nam is, qui hac oratione sese defendit, iudicibus persuadere vult se magistratum creatum nihil contra populum facturum esse et hac de causa de tempore futuro loquitur, huius autem rei argumentum multo melius e trigintavirorum tempore petivit, quo peccare licebat, quam e tempore proximo. Nimis viri docti, inter eos etiam Frohberger, qui docet oratorem polliceri se bonum civem se praebiturum esse, neglexerunt particulas *ἦ που*, quibus recte explicatis haec est loci sententia: quoniam ne tum quidem peccavi, num quisquam dubitat, quin multo minus nunc in populum peccaturus sim?

Quibus expositis cum manifestum sit nullum esse argumentum, quo constet hanc orationem habitam esse, antequam Eleusis reciperetur, proposito nostro satisfecimus, sed iuvat quaestionem institutam ad finem perducere. Quoniam nullus orationis locus ostendit hanc orationem ante Eleusina recuperatam habitam esse, etiamsi nullus esset in ea, e quo contrarium appareret, tamen nobis pro certo nunc statuere licet post expeditionem finitam eam habitam esse. Nam quoniam nullus locus est, qui eis, quae de amnestia docuimus, obloquatur, ex his ipsis summum argumentum petere licet. Amnestia in oratione commemoratur, sequitur igitur, ut habita haec sit post amnestiam decretam, quam constat post expeditionem Eleusiniam finitam decretam esse. Sed ad hoc unum argumentum compluria ex oratione ipsa petita accedunt, quorum gravissimum his verbis continetur § 30: »*οἳ* (accusatores) *νῦν δημοκρατίας οὔσης ταὐτὰ ἐκείνοις πράττουσι, καὶ ταχέως μὲν ἐκ πενήτων πλούσιοι γεγένηνται, πολλὰς δὲ ἀρχὰς ἄρχοντες οὐδεμιᾶς εὐθύνην διδόασιν, ἀλλ' ἀντὶ μὲν ὁμονοίας ὑποψίαν*

πρὸς ἀλλήλους πεποιήκασιν, ἀντὶ δὲ εἰρήνης πόλεμον κατηγγέλκασι, διὰ τούτους δὲ ἄπιστοι τοῖς Ἕλλησι γεγενήμεθα«, quae aperte ostendunt longius temporis spatium post democratiam restitutam iam praeterlapsum esse, et Grosseri sententiam falsam esse, praesertim cum statuere non potuerit brevi ante Eleusina captam hanc causam actam esse, quamquam hoc non dicit. Nam, ut supra § 26 demonstravimus, sibi persuasit bellum Eleusinium per longius tempus ductum esse. Quod quia hac oratione belli mentio non fit vel potius e § 5 ipse collegit bellum geri nondum coeptum esse, opus est eum hanc orationem ante orationem contra Eratosthenem habitam et ante belli initium posuisse, si vero hoc diuturnum fuit, paululum temporis relinquitur inter populi reditum et hanc orationem interiectum. Et quamquam vidimus ex eis locis de huius belli longitudine quidquam colligere ei non licere, tamen id quoque vidimus iam brevi post reditum hanc expeditionem susceptam et finitam esse. Qua de causa propter verba laudata statuendum est neque ante expeditionem Eleusiniam neque ita paulo post eam finitam hanc orationem habitam esse. Atque haec sententia etiam eo affirmatur, quod orator in § 28 narrat saepe, »πολλάκις«, duces civibus suasisse, ut condiciones et iusiurandum servarent, nam, praeterquam quod haec verba, quae firmantur a Nepote Thras. 3, de amnestia post expeditionem Eleusiniam decreta dicta sunt, non verisimile est amnestiam modo promulgatam multos laedere conatos esse. Num argumenta his a Stutzero p. 30 addita, quorum insuper compluria falsa sunt, ullius momenti sint, dubitaverim, et videor ea omittere posse. E colore autem orationis quam difficile sit de rerum commemoratorum tempore decernere, colligas duorum virorum doctorum, quorum utriusque auctoritas de his rebus summa est, sententiis comparatis: Blass l. l. I 509 docet: »Ferner werden die Ereignisse unter den Dreissig als nicht mehr der unmittelbarsten Vergangenheit angehörig behandelt (z. Bsp. 21 ff.)«, Frohberger ed. mai. I p. 177: »die Ereignisse zur Zeit der Dreissig (sind) noch im frischesten Andenken (§ 21 ff)«.

Constat igitur post Eleusina recuperatam hanc orationem habitam esse, sed difficilior diiudicatu est altera quaestio, de qua iterum viri docti dissentiunt, quam diu post habita sit. Fere omnes, inter quos constat post expeditionem Eleusiniam eam habitam esse, in eo consentiunt, quod non multo post eam ponunt. Sic Scheibeo ed. II

p. LXXXIV »scripta esse videtur intra ol. 96, 2 et 3 (403 et 402 a. Chr. n.)«, quae eadem est Stutzeri sententia. Certius quid Frohberger statuit, qui quam proxime postea eam habitam esse vult, fortasse etiam anno 403, cum primum republica restituta magistratus creati sint. Sed tam brevi post Eleusina captam et amnestiam promulgatam eam scriptam putare neque iubemur, ut demonstravimus, futuro »προθυμηθήσομαι« (§ 17) vel alio loco, et vetamur locis modo allatis. Francken »commentationes Lysiacae«, a. 1865, p. 182 »anno uno duobusve post trigintaviros compositam« eam putat. Omnibus serius eam posuit Blass, qui imprimis § 30 commotus circiter anno 400 eam scriptam esse putat. Frohbergero autem, Grossero, Stutzero pro certo habentibus in huius orationis tempore constituendo infra annum 402 descendere iam idcirco non licere, quia Archini lex, quam proxima paragrapho cognoscemus, in ea non commemoretur, Blass hoc argumentum reiecit, et recte reiecit, nam, praeterquam quod non constat, quando haec lex lata sit, is, qui hac oratione in vitae examine se defendit, ea uti non potuit, et, etiamsi fieri potuit, ut tamen eam commemoraret, qua commemorata demonstraret, quantopere duces, quos § 28 laudat, concordiae et amnestiae servandae studuissent, tamen hanc legem tam parvi momenti fuisse videbimus, ut praeter unum locum, quo eam novimus, nulla eius mentio fiat.

Attamen, quamquam hoc argumentum non obstat, quominus cum Blassio circiter anno 400 hanc orationem compositam habeamus, ego quidem post annum 402 eam scriptam esse non crediderim. Nam anno uno post exsules reversos et amnestiam promulgatam interiecto ei loci, quos Grossero et Frohbergero obloqui vidimus, explicari possunt, nam etiam ea, quae § 30 narrata leguntur, uno anno fieri potuerunt, praesertim cum neque oporteat verba »πολλὰς ἀρχάς« de muneribus annuis intellegi, neque idem homo compluribus muneribus functus esse aperte dicatur, ei autem, qui Eleusine recuperata in exsilium missi erant, quos alii nonnulli sua sponte sine dubio secuti erant, certe magis metuendi erant vel dici poterant primo anno, quam postquam tres annos in exsilio fuerunt neque quidquam contra Atheniensium civitatem moliti sunt. Neque non hoc pacto melius intelleguntur complures loci, § 3, 20, 23, 28, qui ostendunt novam civitatem nondum satis firmatam esse, quod anno 400 iam

multo magis factum erat. Nonne etiam orationis initium verbis »ἀναμιμνησκομένοις τῶν γεγενημένων« neque particula τότε addita neque alio temporis signo monstrat de rebus agi non longinquis? Quibus de causis mihi verisimillimum esse videtur sub finem anni 402 hanc orationem habitam esse.

Consulto adhuc neglexi § 9: »Εἰσὶ δὲ οἵτινες τῶν Ἐλευσῖνάδε ἀπογραψαμένων ἐξελθόντες μεθ' ὑμῶν ἐπολιόρκουν τοὺς μεθ' αὐτῶν«, de quo loco multum inter viros doctos disputatum est, e quo omnes, quamvis de interpretatione dissentirent, pro certo habuerunt elucere post Eleusina recuperatam hanc orationem habitam esse, donec Grosser diss. l. p. 11 et in ann. ph. et p. l. l. etiam hoc nova interpretatione prolata negavit.

Quod autem attinet ad huius loci lectionem dubiam, mihi quidem cum omnibus fere viris doctis recentioribus lectio vulgata: »ἐπολιορκοῦντο μετ' αὐτῶν« reiicienda videtur et Scheibei coniectura: »ἐπολιόρκουν τοὺς μεθ' αὐτῶν« accipienda, neque mea sententia Francken et Sauppe habebant, cur interpretationibus artificiosissimis et recte improbatis lectionem vulgatam defenderent. Nam non neglegendum erat hanc ipsam coniectura effectam esse, quia codex X, e quo reliquos omnes derivatos esse Sauppe ipse in »epistola critica ad God. Hermannum«, a. 1841, demonstravit, exhibet lectionem ἐπολιορκοῦντο μεθ' αὐτῶν, quae nescio an non multo difficilius ex ea lectione fieri potuerit, quam Scheibe restituit, quam ex illa.

Quibus expositis ut quaeramus, quomodo haec verba optime explicentur, de verbis »τῶν Ἐλευσῖνάδε ἀπογραψαμένων« explicandis assentior Frohbergero, qui coniecit haec: cum pace per Pausaniam inter exsules et urbanos reconciliata diserte statueretur, ut eis urbanis, qui sibi metuerent, Eleusina migrare liceret, omnes, qui hac condicione usuri erant, nomina professi sunt, et ea de causa Ἐλευσῖνάδε ἀπογραψάμενοι vocari poterant. Aliter Scheibe, Rauchenstein, Grosser, Stutzer coniiciunt trigintaviros, cum discordia inter tria illa milia orta intellexissent urbem sibi fore relinquendam, omnes, qui Eleusina se sequi vellent, nomina dare iussisse, et hos his verbis spectari. Quamquam hanc coniecturam falsam esse demonstrari non potest, tamen parum verisimile est tyrannos iam antea hoc modo civibus ostendisse se metuere, ne ab ipsis urbe expellerentur, neque omnibus civibus sese confidere; num vero post dissensionem exortam

nomina colligendi tempus eis fuerit, cum Frohbergero dubitaverim. Iam verba »ἐπολιόρκουν τοὺς μεθ' αὐτῶν« Grosser refert ad Athenas ab exsulibus obsessas ita, ut statuat non omnes, qui sese triginta-viros secuturos esse professi essent, eos secutos esse, quin etiam nonnullos eorum deinde ad exsules transisse et cum eis Athenas oppugnavisse. Quae sententia, quamquam refutari per se non potest, tamen, ut recte Stutzer l l. p. 37 demonstravit, non est, quod alteri praeferatur, est autem consentaneum eam mittendam esse, si recte exposuimus verba »τῶν Ἐλευσῖνάδε ἀπογραψαμένων« melius de eis intellegi, qui pace facta nomina professi sint. Quam ob rem rectius cum omnibus ceteris viris doctis cogitamus de Eleusine urbe obsessa. Sed iam dubitari potest, quomodo verbum »ἐξελθόντες« intellegendum sit. Frohberger docet eorum, qui nomina professi Eleusina migravissent, nonnullos, cum Athenienses ad urbem oppugnandam accessissent, ad eos exisse et simul cum eis suos obsedisse. Sed quamquam priorem Frohbergeri interpretationem secutus sum, hanc alteram non probaverim, nam e verbo »ἀπογραψαμένων« adhibito, ut Grosser l. l. p. 206 recte dicit, potius colligendum est Lysiam loqui de hominibus, qui nomina professi Eleusina non migraverant. Quam ob rem statuerim nonnullos eorum, qui Eleusina se migraturos esse pace composita dixissent, tamen in urbe remansisse et cum ceteris Atheniensibus contra Eleusina expeditionem fecisse Qua interpretatione accepta elegantius inter se opposita sunt, ut Fuhr l. l. p. 105 annotat, verba »ἐξελθόντες μεθ' ὑμῶν« et »ἐπολιόρκουν τοὺς μεθ' αὐτῶν«, cum Frohbergero et item Grossero verba »μεθ' ὑμῶν« cum verbo »ἐπολιόρκουν« coniungenda sint. Poterat autem Lysias etiam hac ratione eos urbanos, qui re vera Eleusina se contulerant, »τοὺς μεθ' αὐτῶν« vocare, quia utrique non solum ut urbani, sed etiam ut Ἐλευσῖνάδε ἀπογραψάμενοι eiusdem factionis erant.

Quodsi nunc denique quaeri potest, num accusatione, a qua is, qui hanc orationem habet, se defendit, amnestia laesa sit, dubium esse non potest, quin hic civis adversus amnestiam accusatus sit. Possis mihi obiicere eum rerum ante actarum re vera accusatum omnino non esse, sed cum vitae examine instituto quaereretur, num munere gerendo dignus esset, tres homines in § 25 nominatos exstitisse negantes eum dignum esse, quia anarchiae tempore malum civem se praestitisset. Sed etiam hoc contra amnestiam pugnabat,

nam, postquam omnes cives iuraverunt omnium rerum ante actarum oblivionem fore, non solum interdictum erat, ne quis earum reus factus in iudicium vocaretur neve damnaretur, sed etiam, ne quis ob eas ab ullo iure civili excluderetur. Praeterea autem e tota oratione apparet hunc civem certorum criminum argutum omnino non esse, sed hoc unum crimini ei datum esse, quod tyrannorum tempore in urbe remanserat, quae si causa esse poterat, ob quam munere dignus non haberetur, omnes urbani hoc iure privari poterant et amnestia prope inversa erat. Quamdiu cives amnestiae iusiurandum servabant, ne id quidem iustum erat, quod in § 34 sq. orator ipse iudicibus concedit, cum dicit sua sententia iustum esse in omnes cives amnestiae condiciones servari, attamen se propter multas iniurias exsulibus illatas veniam dare, si malorum veri auctores puniantur, sed, ut omnes, qui in urbe remanserint, aeque puniantur, non licere. Immo ne id quidem licebat, ut nocentissimus omnium in iudicium vocaretur et puniretur, eamque ob rem quam maxime destetandi sunt sycophantae, qui calumniis amnestiam irritam reddere conabantur, et improbandus etiam hic civis ipse, quod sibi soli, non omnibus suae partis civibus amnestiae beneficium vindicat. Sed non solum sperare nobis licet populares huic civi veniam dedisse et ita suffragiis latis amnestiam non laesisse, sed etiam scimus multos etiam eorum, qui sub trigintaviris muneribus functi et eorum facinorum participes facti erant, republica restituta maximos honores assecutos esse, ut testatur Lysias XVI 8, XXVI 17 et 20.

Accepi his diebus Frohbergeri or. sel. Lys. editionis maioris tomum primum iterum a Gebauero nuper editum, quam editionem mihi sufficit hoc loco laudavisse, nam eorum, quae hac dissertatione disputavi, nihil propter eam mutandum est, quia Gebauer, quamvis sit diligens in quaestionibus grammaticis, in historicis omnes Frohbergeri sententias tam verbotenus retinuit, ut ne errorem quidem § 25 p. 63 a nobis notatum correxerit.

§ 29. Archini legem, quae in proxima paragrapho iam commemoranda erat, cognoscimus Isocratis oratione duodevicesima, quae »*παραγραφὴ πρὸς Καλλίμαχον*« inscripta est, cuius paragraphis primis haec lex Archino auctore lata, qua accusationes adversus amnestiam institutae repellerentur, exponitur. Athenienses, cum nonnullos accusationibus amnestiam laedere conari vidissent, ut hos homines pro-

hiberent et ceteris ostenderent, non coactos sese pactos esse, sed pactum urbi conducere censentes, Archino auctore lege lata decreverunt, si quis adversus amnestiam accusaretur, ut accusato liceret exceptione, παραγραφῇ, uti, i. e. accusationem eo repellere, quod demonstraret adversus amnestiam eam institutam esse, ut de hac exceptione prius ageretur, is autem, qui exceptionem faceret, ante accusatorem loqueretur, qui in omnibus fere exceptionibus mos erat (cf. Meier et Schoemann »att. Prozess« p. 647), ut is, qui vinceretur, epobeliam i. e. sextam eius pecuniae, de qua agebatur, partem penderet. Hac lege nisus is, qui hac Isocratis oratione se defendit a Callimachi accusatione, non causam dicit, sed novam exceptionis causam instituit. Ex qua re satis elucet post Archini legem latam nec non post amnestiam promulgatam hanc orationem habitam esse. Quodsi quaerimus, quando illa lex lata sit, non est alius locus, quo eius mentio fiat, ex hac autem oratione certi quidquam erui non potest. Hoc unum narrat orator: post reditum exsulum nonnullos cives amnestiam laedere conatos esse eamque ob rem hanc legem latam esse, sed quanto post lata sit, non dicit, quamquam cum Blassio II 196 censendum est non complures annos interiectos esse. Neque magis constat, quantum temporis spatium inter hanc legem latam et orationem habitam intercesserit. Initio orationis orator narrat ante se neminem talem exceptionis causam instituisse, qua ipsa de causa hanc Archini legem exponit. Unde colligas paulo post illam legem latam hanc causam actam esse. Attamen, praeterquam quod hanc legem, si paulo antea lata esset, etiam iudicibus notam esse oportuit neque oratorem tam diserte eam explicare necesse fuit, iam haec narratio ipsa ostendit res vetustiores narrari. Quodsi mireris duobus vel pluribus annis neminem hac lege nisum accusationem adversus amnestiam institutam reppulisse, cum neminem accusatum esse vix verisimile sit, omnibus huiusmodi causis perlustratis videbimus omnino neminem, quod sciamus, hoc iure usum esse. Atque etiam alii orationis loci, imprimis § 7—11 et § 46, satis ostendunt longius temporis spatium post annum 403 praeterlapsum esse. Sed quonam anno habita sit, pro certo demonstrari non potest. Fieri potest, ut recte Starke et Blass annum 399 statuerint, sed vereor, ne probare non possint falso Benselerum annum 397 sumpsisse.

Pluribus autem verbis nunc nobis demonstrandum est hanc

orationem non facere contra ea, quae de amnestia supra docuimus, quamquam Grosser l. l. p. 35 et 36 etiam ex ea multos locos pro sua sententia attulit, quorum tamen perpaucos interpretatus est, plurimos interpretatione non addita exscripsit. Quam ob rem non de unoquoque diserte agemus, id quod eo minus fieri oportet, quia omnibus fere hoc commune est, quod orator iudices ad amnestiam revocat, quam mox vocat: »*συνθῆκαι*«, mox »*ὅρκοι*« mox »*ὅρκοι καὶ συνθῆκαι*«. Quamquam constat his verbis etiam solam pacem appellari posse, tamen oratorem de amnestia ea usurpavisse cum tota oratio ostendit tum § 2 sq.: »*νόμον ἔθεσθε, ἄν τις δικάζηται παρὰ τοὺς ὅρκους ..... ἵν' οἱ τολμῶντες μνησικακεῖν μὴ μόνον ἐπιορκοῦντες ἐξελέγχοιντο*« et § 23: »*Θρασύβουλος καὶ Ἄνυτος ... οὐ τολμῶσιν ... μνησικακεῖν*«. Qua de causa illa verba de amnestia intellegenda sunt, quam non aliter quam pacem condiciones et iuramenta habuisse supra exposuimus. Verbo igitur *συνθῆκαι* in § 2, 4, 19, 21, 22, 23, 24, 26, 27, 30, 34, 35, 42, 44, 47 eae condiciones significantur, quibus amnestia statuta est, vel potius omnes sunt condiciones inter urbanos et exsules factae, quia, ut supra (§ 7) exposuimus, verisimile est Eleusine recuperata ad prioris pacis condiciones alias additas et deinde omnes iureiurando sanctas esse. Quam ob rem non solum idcirco pax et amnestia non diserte seiunguntur, quia haec oratio compluribus annis post habita est, sed re ipsa, quamquam aliquod temporis spatium inter ea interiectum erat, eo arcte coniunctae erant, quod pax amnestia sancta repetita et firmata est. Eodem autem iure verbum *συνθῆκαι* solum pro tota amnestia poni potuit, quo hoc solo verbo pacem significari posse supra (§ 9) vidimus. Atque eodem modo verbum *ὅρκοι*, quod invenitur in § 2, 20, 21, 25, 44, et verbum *ἐνορκοῦντες* in § 3 intellegenda sunt de iureiurando, quo omnes post Eleusina captam illas condiciones sanxerunt, et eo etiam referendum est iudicum iuramentum in § 34 commemoratum, de quo supra (§ 6) iam egimus. Duobus denique locis, § 29 et § 67, amnestia pleno nomine, »*ὅρκοι καὶ συνθῆκαι*« appellatur. De eis, quae § 20 de amnestiae condicionibus comperimus, conferas ea, quae supra (§ 7) exposuimus. Deinde duo restant loci a Grossero allati, qui ex eius verbis nostrae sententiae obloqui videri possunt, § 2 sq. et § 28, quorum priore sententiam suam eo firmari existimat, quod verbis *κατελθεῖν* et *αἱ συνθῆκαι* et *οἱ ὅρκοι* et *τὸ μὴ μνησικακεῖν*

Eleusine recuperata prorsus neglecta fere idem significetur. Haec tria idem, i. e. amnestiam, significare modo ipsi exposuimus, et certe optime hoc loco ea firmarentur, quae Grosser de amnestia cum reditu coniuncta docuit, si re vera verbum *κατελθεῖν* hoc loco idem significaret ac cetera tria verba. Sed maxime vir doctus erravit, neque enim vidit verba »*ἐκ Πειραιέως κατελθόντες*« non respicere id tempus, quo amnestia decreta est, sed id, quo Archini lex lata est, quam aut simul cum reditu sive simul cum amnestia aut ita brevi post latam esse nemo credet, et Grosser ipse p. 45 negat. Qua de causa manifestum est, id quod etiam ex aoristi participio colligi potuit, verbis »*ἐκ Πειραιέως κατελθόντες*« oratorem dicere: post reditum vestrum; quanto post, verbis ipsis non indicari. Quoniam autem non paulo post exsulum reditum neque paulo post Eleusina captam haec lex lata est, bene hic locus ea comprobat, quae supra (§ 21) diximus ex eo, quod Athenienses »*κατελθόντες*« amnestiam decrevisse dicantur, nequaquam apparere ex reditu eos eam decrevisse et sanxisse. E § 28 Grosser citat haec: »*Ταύταις γὰρ* (*ταῖς συνθήκαις*) *πιστεύοντες ὡς ἀλλήλους ἀφικνούμεθα*«, ita, ut, quicumque legat locos ab eo citatos, eum intellegere oporteat oratorem narrare Athenienses condicionibus, *ταῖς συνθήκαις*, fretos convenire, sed, qui legerit orationem ipsam, inveniet eum his verbis Atheniensium pactionem omnino non respicere, sed in universum pactiones laudantem inter alia dicere pactione facta populos inter se commercium habere.

Nullo igitur orationis loco sententiae nostrae repugnante complures, quamquam ipse non multum eis tribuo, ei favent. In § 2 verba »*τοῖς ἄλλοις ἐπιδεῖξαι, ὅτι οὐκ ἀναγκασθέντες ἐποιήσασθε αὐτὰς* (*τὰς συνθήκας*), *ἀλλ' ἡγούμενοι τῇ πόλει συμφέρειν*« multo melius dicta sunt de amnestia, quam sua sponte totus populus decrevit et sanxit, quam de eis pactis, quae Pausania auctore composita sunt. Nam ad hanc pacem eiusque condiciones accipiendas et urbani temporibus coacti sunt, et exsules eas fecerunt, quibus patriam et bona sua reciperent, non quia sibi persuaserant eas patriae prodesse. Potius deinde in meum usum vertuntur § 25 verba: »*ὅτε μὲν ἄδηλον ἦν, εἰ συνοίσουσιν αἱ διαλλαγαὶ τῇ πόλει, τοιούτους ὅρκους ἐποιήσασθε περὶ αὐτῶν, ὥστ', εἰ καὶ μὴ συνέφερεν, ἀναγκαῖον εἶναι τοῖς ὡμολογημένοις ἐμμένειν*«, nam melius haec dicuntur, si reconciliatio, quae pace Pau-

sania auctore facta incepta erat, aliquanto temporis postea amnestiae iureiurando firmata et ad summum quasi finem perducta est, quam si eodem die, quo redierunt, ea, quae iureiurando sancienda esse iam convenerat, sanxerunt. Neque est, quod offendamus in verbo »ὡμολογημένοις«, nam amnestia decreta ea, quae inter duas factiones ante reditum alterius partis convenerant, i. e. concordiam inter omnes cives servandam esse, magis firmata esse nemo erit, qui neget.

Ad haec Grosser addidit unum locum ex eiusdem Isocratis oratione XVI petitum, § 43: »τολμᾷς ἑτέροις μνησικακεῖν καὶ οὐκ αἰσχύνει τὰς συνθήκας παραβαίνων, δι' ἃς αὐτὸς οἰκεῖς τὴν πόλιν«. Neque haec meae sententiae obloquuntur, nam, quia condiciones amnestiae iureiurando sanctae pacis condiciones comprehendebant, Tisias propter συνθήκας in urbe habitare dici potuit, rectissime autem dicitur, quia haec est sententia: nisi amnestia decreta facinora tua oblivioni data essent, ipse non tutus in urbe habitares.

Quibus demonstratis restat, ut quaeramus, num hac causa amnestia laesa sit. Nescimus, quibus argumentis Callimachus hanc exceptionem refellere conatus sit, sed, quodcumque dixit, dubium esse non potest, quin adversus amnestiam eum, qui hanc orationem habet, accusaverit. Eo enim tempore, quo trigintaviris expulsis decemviri civitatem administrabant, Callimacho, qui tum in urbe erat, postea ad exsules in Piraeeum fugit, pecunia adempta et publicata erat, cuius facti hunc civem arguit. Crimen igitur anarchiae tempore factum propter amnestiam oblivione delendum erat, Callimachus autem, si nihilominus accusationem instituit, contra amnestiam fecit. Sed num accusatus ad pecuniam reddendam damnatus sit, valde dubium est, quam ob rem iterum non licet diiudicare num re vera hac causa amnestia laesa sit. Attamen hac eadem oratione comperimus non omnes confisos esse se facinorum illo tempore commissorum accusatos liberatum iri propter amnestiam decretam, nam Patrocles, qui primus eiusdem criminis a Callimacho accusatus erat, decem minis datis eum commoverat, ut accusatione desisteret (cf. § 7), et idem fecerat Lysimachus deinde accusatus ducentis drachmis datis, et totidem drachmas hic reus ipse dederat, cum primum a Callimacho huius criminis argueretur. Quin etiam iam fuerant, qui dicerent amnestiae condiciones tollendas esse, § 26: »τοῖς μὲν εἰρηκόσιν, ὡς χρὴ τὰς συνθήκας

ἐξαλείφειν«. Sed licet oratori hanc sententiam continuare verbo: »ὠργίζεσθε«.

Itaque populus ipse haec moleste tulit et amnestiam decretam stare voluit et servari et ipse religiose servavit, id quod maxime Philonis exemplo ostenditur hac eadem oratione § 22 tradito. Philo falsae legationis accusatus, quamquam ab accusatione ipsa se defendere non potuerat, propter solam amnestiam liberatus erat. Tanti iudices amnestiam habuerunt. Atque etiam hac oratione docemur raro accusationes adversus amnestiam institutas esse, nam § 23 laudat orator Thrasybulum et Anytum, qui, quamquam plurimum in civitate valeant et multas iniurias acceperint, tamen amnestiam veriti non ulciscantur, neque non de omnibus iudicibus idem praedicare potest, § 24: »ἀλλ' οὐδ' ὑμῶν οὐδεὶς τοιαύτην δίκην εἰσελθεῖν τετόλμηκεν«, quin etiam in § 38 dicit: »πάντες οἱ κατελθόντες ἐκ Πειραιέως ἔχοιεν ἂν τοὺς αὐτοὺς λόγους εἰπεῖν, ὥσπερ οὗτος, ὧν οὐδεὶς ἄλλος τετόλμηκε τοιαύτην δίκην εἰσελθεῖν«. Etsi non licet ex his locis allatis, quibus oratorem causas ad vitae examen, *δοκιμασίαν*, pertinentes neglegere apertum est, pro certo colligere nullam eiusmodi aliam accusationem per quattuor vel quinque annos amnestiam sequentes umquam actam esse, tamen id certe elucet multo magis hac oratione firmari quam refutari Xenophontis verba: »καὶ τοῖς ὅρκοις ἐμμένει ὁ δῆμος«. Recte igitur orator § 46 Athenienses laudat verbis supra (§ 25) allatis, ad quae addi possunt haec e § 31 petita: »πολλῶν καὶ καλῶν τοῖς προγόνοις ἐν τῷ πολέμῳ πεπραγμένων οὐχ ἥκιστα ἡ πόλις ἐκ τούτων τῶν διαλλαγῶν εὐδοκίμησεν«.

§ 30. Accuratius quam de omnibus ceteris causis instructi sumus de ea, quae anno 399 contra Andocidem acta est, quia non solum ea oratio servata est, qua Andocides se defendit, quae est eius oratio prima »περὶ τῶν μυστηρίων«, sed etiam unius e tribus accusatoribus oratio, quae sub Lysiae nomine fertur oratio sexta, quam Lysiae non esse iam dudum inter viros doctos constat, quae tamen re vera habita est. Andocides anno 415 criminis hermarum mutilatorum particeps fuerat, nam, quamquam ipse se innocentem fuisse demonstrare conatur, de eius culpa dubitari vix potest, eamque ob rem atimia notatus patriam reliquerat. Anno autem 402 ineunte Athenas reverterat et omnibus civis iuribus functus erat, id quod

atimia notato ei non licuit. Tribus autem annis post, ut ipse I 132 dicit, i. e. anno 399, atimiae neglectae acusatus est. Quamquam in oratione sua multis argumentis allatis demonstrare conatur sese atimia numquam notatum esse, tamen §§ 73—80 ostendit, etiamsi atimia notatus esset, Patroclidis lege, qua anno 405 omnes atimia notati in integrum restituti sunt, hanc atimiam sublatam esse atque eodem modo § 81—§ 91 demonstrare vult propter amnestiam anno 403 decretam se impunem esse. Quod argumentum accusator, cuius oratio servata est, § 37—§ 41 praesumit, cum dicit Athenienses in foederibus factis de absente Andocide non cogitavisse neque amnestiam ad eum pertinere, quod argumentum, quamquam latius et dilucidius exponendum fuit, plane recte se habet, nam certe amnestia data esse non potest, propter quam omnia facinora ante annum 403 commissa oblivioni darentur, sed ad ea tantum pertinebat, quae anarchiae tempore facta erant. Qua de causa Andocides, quia inter Athenienses paciscentes et amnestiam sancientes non fuerat, amnestiae particeps non erat, neque haec causa contra amnestiam instituta est. Attamen impunis erat, quia Patroclidis lege atimia sublata erat, nisi forte eo, quod Athenas non reverterat, ab huius quoque legis beneficio se ipse excluserat. Quodsi constat eum hac accusatione liberatam esse, cave pro certo ex eo colligas propter certa iura et leges eum liberandum fuisse.

Reliquum est, ut complures utriusque orationis locos interpretemur. Accusator loquitur de amnestia in §§ 37—41, quam saepius vocat *συνθήκας*, quae vox, aeque atque in § 41 verbum *τὰ συγκείμενα*, etiam hic ita adhibita est, ut omnes condiciones factas comprehendere videatur, et ut in § 38 non solum eae, quas civitatis duae factiones inter se fecerunt, spectentur, sed haec una vox in duas partes dividatur, de quibus supra (§ 7) disseruimus: »*τῶν συνθηκῶν*.... *οὔτε τῶν πρὸς Λακεδαιμονίους, ἃς ὑμεῖς συνέθεσθε οὔτε ὧν πρὸς τοὺς ἐν τῷ ἄστει οἱ ἐκ Πειραιῶς.*« Quam ob rem etiam verbum *διηλλάγημεν*« in § 39 de tota reconciliatione amnestia decreta ad finem perducta intellegendum est. Semel, § 39, pleno nomine amnestia appellata est: »*αἱ συνθῆκαι ἐγένοντο καὶ οἱ ὅρκοι*«. Iam relinquitur unus locus, cui Grosser maximam auctoritatem tribuit, § 45. Quoniam eius sententia »*αἱ συνθῆκαι*« condiciones sunt Pausiania auctore inter exsules et urbanos compositae, »*οἱ ὅρκοι*« iusurandum ipso

reditus die de eis factum, simplicia verba »ὅρκοι καὶ συνθῆκαι« semper de priore amnestia sua, quam habet graviorem, intellegi vult, alteram autem minorem docet in ann. ph. et p. IC p. 194 et alias in hac oratione, § 45, commemorari, et, ut ab altera seiungatur, nominari »οἱ ὅρκοι καὶ αἱ συνθῆκαι οὖσαι τοῖς Ἐλευσινόθεν«, cf. Curtius l. l. III 753. Sed, nisi maxime fallor, etiam hunc locum falso intellexit et inpretatus est, neque omnino leguntur verba laudata. Immo hic est locus: »ὁ γοῦν πάντων πονηρότατος Βάτραχος πλὴν τούτου, γενόμενος ἐπὶ τῶν τριάκοντα μηνυτὴς καὶ οὐσῶν αὐτῷ συνθηκῶν καὶ ὅρκων καθάπερ τοῖς Ἐλευσινόθεν«. Quocum loco Grosser diss. p. 33 sq. comparat eiusdem orationis § 37: »Πυνθάνομαι δ' αὐτὸν (Andocidem) μέλλειν ἀπολογήσεσθαι, ὡς αἱ συνθῆκαι καὶ αὐτῷ εἰσι καθάπερ καὶ τοῖς ἄλλοις Ἀθηναίοις«, et inde colligit Andocidem propter priorem amnestiam postulavisse, ut liberaretur, Batrachum posterioris participem fuisse. Sed non habemus, quod de duabus amnestiis hos duos locos intellegamus, immo ad eandem referendi sunt, quae una post Eleusina recuperatam decreta est, atque hoc modo hi loci recte explicantur: Andocides dicit se aeque atque omnes Athenienses amnestiae participem esse, cuius eiusdem amnestiae iure particeps est Batrachus, neque minus est quam οἱ Ἐλευσινόθεν, e quibus ipse unus fuisse videtur, i.e. quam ei urbani, quorum multi iniurias quam maximas in populares commiserant.

Ex Andocidis ipsius orationis § 81, quae supra (§ 6) exscripta legitur, Grossero apparere videtur statim post exsulum reditum amnestiam decretam esse, sed de enunciato: »ἐπειδὴ δ' ἐπανήλθετε ἐκ Πειραιέως« eadem valent, quae de participio κατελθόντες iam saepius exposuimus. Neque licet ex ceteris colligere minimum temporis spatium interiectum esse. Contra verba »γενόμενον ἐφ' ὑμῖν τιμωρεῖσθαι« aperte faciunt pro mea sententia, nam ex eis elucet exsules non iam propter pacis condiciones iniurias acceptas oblivione contrivisse, sed eos sua sponte hoc constituisse. De §§ 90 et 91 iam satis supra (§ 6 et § 19) disputatum est. § 103 verba »διηλλάγητε καὶ ὅρκους ὠμόσατε« iam (§ 7) diximus fortasse de sola pace Pausania auctore facta intellegenda esse, cum § 105 praecipue ad amnestiae iuramenta pertineat.

Hac igitur causa non adversus amnestiam instituta etiam hae orationes Xenophontis verba laudata affirmant, nam accusator § 37

narrat ipsum Andocidem sperare: »πολλοὺς ὑμῶν δεδιότας μὴ λύσητε τὰς συνθήκας αὐτοῦ ἀποψηφιεῖσθαι«, et Andocides ipse § 140 non minus quam Isocrates propter amnestiam cives suos praedicat.

§ 31. Una tamen exstat oratio, qua certiores reddimur interdum iudices nihilominus adversus amnestiam decrevisse, quae est Lysiae oratio tertia decima in Agoratum habita, quae uno vel paucis annis post Andocidis accusationem scripta esse videtur. Agoratus, homo nequissimus, cum, antequam trigintaviri exstitissent, de pace cum Lacedaemoniis reconcilianda ageretur, complures Athenienses, qui contra pacem faciendam coniuraverant, indicaverat, qui in vincula publica coniecti a trigintaviris paulo post creatis interfecti erant. Postea vero ipse ad populares Phylen fugerat et cum eis in urbem reverterat. Compluribus autem annis post a Dionysio et eo, cui Lysias hanc orationem scripsit, mortis illorum accusatus est. Contendit Agoratus, et recte contendit propter amnestiam promulgatam se impunem esse, quod argumentum accusator §§ 88—90 praesumit quodque modo artificioso et fallaci refutare conatur, cum docet pactos esse exsules cum urbanis i. e. alteram partem cum altera, non vero eos, qui eiusdem partis fuissent, inter se. Ergo quoniam et accusatores et Agoratus inter exsules fuerint ad hanc causam amnestiam non pertinere. Quam argumentationem dolosam et improbandam esse patet, praesertim cum in amnestiae iuramento, quod apud Andocidem invenimus, diserte dictum sit: »καὶ οὐ μνησικακήσω τῶν πολιτῶν οὐδενὶ πλήν« etc. Neque oratorem ipsum fugit hanc rationem falsam esse, quam ob rem, priusquam eam profert, temere iudices adhortatur, ut amnestiam neglegant et laedant, eorum autem, qui hoc facere non audeant, ut tollat scrupulum, illam addit argumentationem. Totam autem hanc orationis partem quam brevissime expedivit, quia iusta verba de ea facere non potuit. Quibus de causis negari non potest hac causa instituta amnestiam impugnari, quoniam Agorati facinora anarchiae tempore commissa oblivioni danda erant. Nec non est verisimile re vera hac causa amnestiam laesam esse, quia, ut Blass quoque l. l. I 557 annotat, suspicandum est iudices ad hunc sceleratum hominem condemnandum, qui neque urbanis neque exsulibus gratus erat, omnes fere pronos fuisse.

Atque etiamsi dubitari licet, num Agoratus condemnatus sit, hac eadem oratione comperimus amnestiam iam antea laesam esse,

paragraphis enim 55—57 orator narrat Menestratum, qui trigintavirorum tempore eisdem fere sceleribus, quibus Agoratus, toti populo se invisum reddidisset, postea a populo, scilicet propter res oblivione delendas, post amnestiam decretam interfectum esse, nam non alia facinora postea commisisse videtur, quibus hanc poenam sibi contraheret.

De singulis huius orationis locis pauca nobis annotanda sunt. § 80 verba »αἱ διαλλαγαί« iam (§ 7) vidimus ad pacem Pausania auctore compositam referenda esse. In §§ 88—90 orator de amnestia loquitur et saepius eam vocat: »τοὺς ὅρκους καὶ τὰς συνθήκας«, quae verba quid sibi velint, iam saepius dictum est. Quodsi quam apertissime hic locus ostendit amnestiam exsulum et urbanorum pactionem fuisse, ex eis, quae supra (§ 7) exposuimus, manifestum est hoc non facere contra sententiam nostram.

Addatur huic orationi altera, quam breviter tractabo, quam tamen silentio praeterire non licet, Lysiae dico orationem duodevicesimam, quae nunc inscribitur »περὶ δημεύσεως τῶν τοῦ Νικίου ἀδελφοῦ [ἐπίλογος], olim »κατὰ Πολιόχου«, cf. Blass l. l. I p. 522, quae circiter anno 396 habita est. Quia prior huius orationis pars deperdita est, altera corrupta, tota causa obscurior est, quam de qua diiudicari possit. De qua quaestione pluribus verbis egerunt praeter Blassium l. l. R. Schoell »quaestiones fiscales iuris Attici«, a. 1873, Sachse »quaestionum Lysiacarum specimen«, a. 1873, Thalheim »des Lysias Rede für Polystratos«, a. 1876. Poliochus legem rogavit, ut Eucratis, Niciae fratris, bona publicarentur, quae lex secundum § 14 accepta esse videtur. Sed cur ea publicari voluerit, non liquet. Eucrates, populi amicus a trigintaviris interfectus erat, et credunt Francken l. l. p. 124 et alii propter idem crimen, quod ei mortem paravisset, Poliochum bona eius publicari voluisse. Quod si recte se haberet, Poliochus, ut viros populares puniret, amnestiam laedere conatus esset, quae sententia mihi nullam veri speciem habere videtur, quamquam hoc ex oratione collegerim propter crimen aliquod amnestia promulgata oblivioni dandum populum bona publicanda esse constituisse, cf. § 8 et §§ 13—19. Sed potius cum Thalheimio l. l. crediderim hoc crimen fuisse Diogneti, hunc contra populares peccavisse. Quam ob rem adversus amnestiam haec causa instituta esse videtur, sed de hac quaestione diiudicare non possumus.

Itaque malo eam missam facere et pauca de locis singulis annotare. In § 15 inter se opponuntur pacta, quae Athenienses cum Lacedaemoniis fecerint, et ea, quae inter se fecerint, de qua re iam (§ 7) disseruimus. Amnestiae praeterea mentio fit § 13: »ὥσθ' ὑμᾶς τοὺς αὐτούς, περὶ ὧν ὅρκους ὀμωμόκατε« etc. et § 18: »καὶ ταῦθ' (ὁμόνοιαν μέγιστον ἀγαθὸν εἶναι πόλει) ὑμεῖς ἔγνωτε νεωστὶ κατελθόντες ὀρθῶς βουλευόμενοι« etc., et § 19: »μνησικακεῖν νεωστὶ κατεληλυθόσιν«. E quibus locis eodem modo atque e multis aliis pro certo colligi potest post exsulum reditum amnestiam decretam esse, et fortasse pro verisimili non multum temporis inter haec duo facta intermissum esse, sed ex reditu Athenienses amnestiam decrevisse ne hi quidem loci ostendunt, immo vox νεωστί bis ad participium apposita, quae interdum etiam longum tempus indicat, certe melius de uno vel duobus mensibus intellegitur quam de paucis horis, est autem addita, quia orator brevi tempori inter reditum et amnestiam interiecto sex septemve annos opponere vult, qui tum praeterierunt: § 19: »πλείων συγγνώμη μνησικακεῖν νεωστὶ κατεληλυθόσιν ἔτι τῆς ὀργῆς οὔσης προσφάτου ἢ τοσούτῳ χρόνῳ ὕστερον ἐπὶ τιμωρίαν τῶν παρεληλυθότων τραπέσθαι«.

§ 32. Restant tres orationes in vitae examinibus, δοκιμασίαις, habitae, de quibus eo brevior esse possum, quia multa, quae de Lysiae oratione XXV dixi, etiam in eas cadunt. Sunt autem Lysiae orationes XXXI, XVI, XXVI.

Oratione XXXI, quae »κατὰ Φίλωνος δοκιμασίας« inscripta est, Philo Atheniensis senator sorte designatus in examine, quasi hoc munere dignus non sit, accusatur. Arguitur autem eorum, quae trigintavirorum tempore commiserat. Urbe enim relicta Oropum se contulerat neutrique civitatis parti interfuerat, quod maximum opprobrium apud Athenienses fuisse notum est. Praeterea agros populatus erat et agricolas vexaverat. Amnestiae autem tota oratione mentio non fit, videtur igitur accusator non speravisse fore ut Philo ad amnestiam refugeret, quod num fecerit, nescimus. Sed dubium fortasse potest esse, num ei hoc licuerit. Certe mea sententia ab amnestiae beneficio exclusus esse dici potuit, quia non eis factionibus interfuerat, inter quas pax et deinde amnestia constitutae erant, et quia neque ut urbanus in exsules neque ut exsul in urbanos peccaverat, sed facinora commiserat in totam civitatem, quas propter

amnestiam decretam oblivione delendas fuisse neget fortasse aliquis, quamquam ego non negare maluerim.

Lysiae oratio XVI »*ἐν βουλῇ Μαντιθέῳ δοκιμαζομένῳ ἀπολογία*« inscribitur, qua eodem fere modo atque eiusdem oratoris oratione XXV civis quidam, cuius nomen secundum titulum Mantitheus erat, se defendit ab aliis civibus, qui eum munere dignum esse negaverant. In hac quoque causa crimen, cuius accusatores eum arguerant, nullum fere aliud erat, quam quod trigintavirorum tempore in urbe mansisset et eques fuisset, quod secundum hanc defensionem ne verum quidem erat. Idem igitur de hac causa statuendum est, quod de altera causa diximus, adversus amnestiam hanc accusationem institutam esse, sed non est verisimile Mantitheum condemnatum esse. Ipse certe dicit se nequaquam metuere, ne damnetur, quam ob rem ad amnestiam omnino non refugit neque eius mentionem facit.

Omnium orationum extrema breviter tractanda nunc nobis est Lysiae oratio XXVI, quae »*περὶ τῆς Εὐάνδρου δοκιμασίας*« inscripta est, quam anno 382 habitam esse constat, i. e. plus viginti annis post amnestiam decretam, cf. Blass l. l. I 471 sqq. Euander *ἄρχων ἐπώνυμος* designatus, cum examinaretur, ab eo, qui hanc orationem habuit, accusatus est quasi munere gerendo indignus, imprimis ea de causa, quia trigintavirorum tempore munere functus eorum facinorum particeps factus esset. Itaque ei quoque ea, quae anarchiae tempore facta oblivioni danda erant, opprobrio vertuntur. Quam ob rem haec quoque oratio habita est adversus amnestiam, quam orator §§ 16—20 respicit, quam in § 16 vocat »*τοὺς ὅρκους καὶ τὰς συνθήκας*«, ad quam laedendam modo audacissimo et iniustissimo iudices commovere conatur, cum dicit, etiamsi Euander damnetur, ceteris urbanis metuendum non esse, ne amnestia priventur, nam non omnes urbanos puniendos esse, sed hominem solum tam sceleratum, qualem Euander se praestiterit. Quod de unoquoque urbano, cui amnestia opus erat, dici potuisse manifestum est. Hoc modo fere nemini amnestia servanda erat. Eo usque temeritatis venit, ut § 9, de qua conferantur, quae supra (§ 25) exposuimus, dicat ea imprimis de causa magistratus designatos examinari, ne optimates, scilicet illo tempore ei, qui tyrannorum socii fuerant, munera adipiscantur, quibus procaciora contra amnestiam dicta esse vix possunt. Quin etiam in § 2 orator vituperat Athenienses, quod religiosius amne-

stiam in urbanos servaverint. Hac igitur oratione quam maxime amnestia impugnatur, attamen neque hac causa laesa est, quia constat Euandrum ol. 99 a. 3 = 382/1 archontem fuisse. Itaque hac oratione Xenophontis verba supra allata non tolluntur, immo confirmantur, quoniam optime ex hac oratione apparet etiam anno 382 amnestiam Athenis valuisse.

Atque hanc oportet illorum verborum esse sententiam usque ad id tempus, quo Xenophon primos libros scripserit vel finiverit, amnestiam ita valuisse, ut legis auctoritatem retinuerit, ut neque populi decreto sublata sit neque damnationibus multis irrita facta. Numquam eam laesam esse ex his verbis colligi non oportet neque dici potuit, nam, quamquam paucae sine dubio omnium causarum eis annis actarum nobis notae sunt, tamen saepius vidimus homines adversus amnestiam accusatos esse, duos, Menestratum et Agoratum, damnatos esse videri.

Epilogus.

§ 33. Laudandi certe sunt Athenienses quod mala civilia, quibus maiora populi non saepe perpetiuntur, tam leniter composuerunt, quod omnes iniurias ignoverunt, quod cum eis hominibus, a quibus bonis et civitate privati erant, concorditer vixerunt, et haec res magnam parvi illius populi gloriam firmavit et auxit, quamquam non deerunt, qui tamen eos vituperent, quod non plane amnestiae pacta servaverint, quod omnino accusationes propter res oblivioni dandas acceperint. Vidimus (§ 29) Archinum lege sua id egisse, ut omnes causae adversus amnestiam institutae ut iniustae reiicerentur, sed ne hac quidem lege factum est, quod propter amnestiam ipsam fieri oportuit. Nulla oratio praeter illam Isocratis eius mentionem facit, neque Agoratus hac lege accusationem refutare conatus est, neque Andocides eam commemorat, neque in orationibus in *δοκιμασίαις* habitis eius fit mentio, neque is, qui Isocratis oratione se defendit hac lege accusationem refutavisse satis habet, sed etiam, id quod fieri iure non oportuit, se innocentem esse demonstrare conatur. Atque item omnes adversus amnestiam accusati, praeterquam quod res, quarum accusati sunt, amnestia decreta oblivione delendas esse demonstrant, iniuria omnium earum se argui demonstrare conantur. Sequitur igitur, ut nemo sibi persuaserit fore, ut propter solam amnestiam a iudicibus liberaretur,

Sententiae controversae.

1. Ei, qui cum in aliis scriptoribus tum in Homero in interpolationes inquirunt, saepe nimis neglegunt etiam interpolatorem librum legisse et novisse.
2. Sophocl. Oed. Tyr. 438 verbum *φύσει* servandum est.
3. Apud Andocidem I 92 pro »*καὶ τοὺς νόμους*« legendum est: *μετὰ τοὺς νόμους.*
4. Apud [Lysiam] VI 3 lectiones, quas editiones exhibent, improbandae sunt, codicis verba aut immutata retinenda sunt aut praepositione *περὶ* ante »*τὼ θεὼ*« inserta, ut legatur: »*ὅτι ἐναργῶς περὶ τὼ θεὼ τούτω τιμωρεῖτε τοὺς ἀδικοῦντας*«.
5. Xenoph. Anab. I 4,5 lectione, quam plurimi codices et editores exhibent, spreta legendum est: »*καὶ β ι α σ ά μ ε ν ο ς τοὺς πολεμίους π α ρ έ λ θ ο ι*«.
6. Aristoteles falso dicitur verbo »*ἡ πολιτική*« in ethicorum libris X ethica significare, in politicorum libris VIII politica. Immo semper hoc verbo significat totam philosophiam practicam, cuius prior pars sunt ethica, posterior politica. Quam ob rem ethicorum liber primus capite extremo excepto huius *πολιτικῆς* sunt praefatio.
7. Quod saepe legimus sex milibus suffragiorum apud Athenienses opus fuisse ad impunitatem dandam, ad peregrinum in civitatem recipiendum, ad civem ostracismo expellendum, ad alia decernenda, errant ei, qui putant non oportuisse sex milia suffragiorum rogationem probare, sed omnino dari. Immo oportuit ea omnia probare. Quoniam vero suffragiorum antiquantium numquam ratio habetur, statuendum est, eos solos, qui rogationem probarent, suffragia dedisse.
8. In Caesaris bell. Gall. VI 24,4 legendum est: Nunc quidem in eadem inopia, egestate, patientia, q u a Germani permanent. .
9. Ovid. fast. I versus 320—332 recto ordine traditi sunt.

10. Non est, quod negemus Iuvenalem circiter anno 47 p. Chr. n. natum esse.

11. Is, qui tria capita scripsit, quae Meginhart »translationis St. Alexandri« fecit praefationem, non habuit in mente translationem Alexandri scribere, sive Rudolf ipse ea composuit, sive, id quod mihi verisimilius videtur esse, Eiuhard ea composuit et Rudolf ex eo descripsit.

12. Dies, quo ecclesia nostra reformari coepta est, magis, quam nunc fit, celebrandus est.

Vita.

Jürgen Andreas Lübbert natus sum in vico parvo Ditmarsiae meridionalis, qui vocatur Neuendeich, die XII mensis Februarii anni 1856, patre Jürgen Hinrich, matre Antje e gente Hehncke, quos adhuc superstites pio animo veneror. Fidem profiteor evangelicam. Rudimentis litterarum in vici schola imbutus decimum quintum aetatis annum iam agens vere anni 1870 in scholae realis, quae vocatur, Marnensis ordinem infimum receptus sum, cuius scholae praeceptores duo, Freist et Knackstedt, optime de me meriti sunt, quod auctores mihi fuerunt litteras capessendi. Quas ut capesserem, auctumno anni 1871 in gymnasii Meldorfiensis, quod Kolstero directore tum florebat, nunc Lorenzio, classem tertiam receptus sum. Nec non huius scholae magistris permultum debeo, imprimis duobus viris, Carolo Mayo et Kolstero directori, quorum ille summa liberalitate, ubi primum me novit, semper me discipulum adiuvit, hic etiam nunc patris instar me fovet et omnia studia mea consiliis benevolis adiuvat.

Vere autem anni 1876 maturitatis examine perfunctus Kiliam me contuli, ut studiis philologicis operam darem ibique per haec novem semestria interfui scholis vv. dd. Lübbert, Forchhammer, Blass, Pischel, Hoeck, Sterroz, Heise philologicis, vv. dd. Volquardsen, Busolt, Schirren historicis, vv. dd. Thaulow et Pfleiderer philosophicis, vv. dd. Klostermann et H. Lüdemann theologicis. Seminarii philologici per duo semestria fui sodalis extraordinarius, historici per unum semestre sodalis extraordinarius, deinde utriusque per septem semestria sodalis ordinarius. Examine rigoroso, quod vocatur, perfunctus sum die XXII mensis Decembris anni 1880, examine autem pro facultate docendi die XII mensis Februarii 1881.

Denique hoc loco omnibus viris nominatis, quorum scholis interfui, summas ago gratias, qui omnes optime de me meriti sunt et omnes tantopere mihi faverunt, ut, cui omnium plurimum debeam, nesciam. Omnium eorum erga me meritorum memoriam nulla umquam delebit oblivio.